

www.e-rara.ch

Sebastiani Castellionis Dialogi IIII

Châteillon, Sébastien

Aresdorfii [i.e. Basel], 1578

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-32621>

De electione. Colloquium II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE ELECTIO- NE.

COLLOQVIVM II.

LVDOVI. FEDERIC.



Nte Prandium de Prædesti-
natione disseruisti, Federice
& mihi sanè ea in parte satis
fecisti. Nunc velim, vt etiam
de Electione disputes, & me
difficultatibus illorum locorum quos le-
uiter attigi, nec non aliorum eius gene-
ris, qui nobis inter loquendum occurre-
re poterunt, liberes. F. Faciam quod mi-
hi dabit diuina benignitas Ludouice:
Tu mihi paucis expone quæ sit vestròrũ
de Electione sententia. L. Nostri tradũt,
oēs homines in Adamo damnatos esse.
nunc ex eis eligi quosdam ad salutem,
idq; in Christo, qui eos sanat. Atq; hanc
vocāt Electionem. Alios verò in malo &
damnatione sua relinqui: & hanc vocant
Reiectionem siue Reprobationem. Atq;
hanc rem similitudine sic docent. Ingre-
ditur medicus aliquis in domum ægro-
torum. Ibi quosdam sanat, idq; gratis, &

ij. debent ei gratiam. Alios non sanat : & ij. de eo queri non possunt. Nihil enim debet eis; Sic Deo gratiam debent; qui seruantur; qui verò non seruantur. con- queri non possunt. Nihil enim debet cuiquam Deus. F E D. E. Habent omnino similitudines magnam vim ad docendū si ritè adhibeantur. Sed habent eadem etiam ad fallendum non minorem, si vitiosæ sint, & parum quadrent. Proinde istam perpendamus, ne quid lateat in ea vitij. Age igitur. Estne medicus iste ita doctus, vt omnes ægrotos sanare possit? L V D. Est, sic enim fingamus. F E D. Estne etiam misericors? L V D. Maximè. Sola enim misericordia mouetur ad sanandos illos. F. Cur ergo omnes non sanat? L V D. O. Non vult. F E D. Quid tu, Ludouice, si esses medicus ille, & posses omnes sanare, nonne sanares? quid dubitas? L V D. cogis me. Sanarem vtique. F E D. Esses ergo magis misericors quàm ille. L V D. O V. Essem. F E D. E. Iam vides similitudinis. istius dissimilitudinem. Confertur enim in ea parum misericors medicus, cum Deo, siue cum Christo summa misericordia prædito. Itaque medicus iste dicere non posset: Venite
ad

ad me omnes ægroti: ego sanabo vos. At Christus clamat. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis: ego reficiam vos.* L V D O. Atqui nos, quamvis misericordes, tamen sæpe in magno cœtu mendicorum alijs stipem damus: alijs non damus. F E D E R I C. Inopia facimus, Ludo- uice. Si enim tantum pecuniæ habere- mus, quantum vellemus, & insuper verè misericordes essemus, certè omnib. sub- ueniremus. At Dei potentia, qua sanat ægrotos non sic exhauritur, vt loculi no- stri: est enim inexhausta, & infinita. Ita- que accipe veram similitudinem: Intrat bonus medicus, idemque verè miseri- cors, in domum ægrotorum, ibi procla- mat sese omnes, qui medicinam sumere volent, curaturum. Hic quidam sumunt medicinam, & sanantur. Alij quia amara est, non sumunt, ideoque non sanan- tur. Ita licet dicere. Hic medicus omnes sanare, & vult, & potest. Cur ergo non omnes sanat? Quia non omnes medici- nam sumere volunt sine qua vt sanen- tur fieri non potest. Similiter & de Chri- sto dicemus. Venit in mundum, vt om- nes sanet à peccatis, idque potest. Sed medicinam porrigit amaram, videlicet

vt sibi renuncient. Hanc medicinam repudiantes, quidam sanari nequeunt, alij sanantur. Ita verè de Christo dici hoc potest: Hic omnes sanare, & vult, & potest. Cur ergo nō omnes sanat? Quia oportet nō solum medicum, sed & ægrotū fungi officio, quod cum nolunt illi ægroti, nequeunt sanari. Neque tamen non potest Christ⁹ eos sanare. Sed ea via potest, qua fieri potest, non qua fieri non potest. Est enim potētia rerū possibiliū, nō impossibiliū. Sicut grauidatio rerum grauidabilium non in grauidabiliū. Et auditio rerum audibiliū, non inaudibiliū. Quamobrē vt planè perspiciamus quid sit & qualis sit electio, perpēdamus similitudinem illam Christi de inuitatis ad nuptias, in qua de electis loquitur, quæ

Matt. 22. sic habet. Rex filij sui nuptias factur⁹, dimisit seruos suos, qui inuitatos ad nuptias vocarent. At illi noluerunt venire, sed discesserunt alius in agrum suum, alius ad mercaturam. Ceteri comprehensos eius seruos cum ignominia peremerunt. Quo audito, iratus rex, missis illō copij, suis, homicidas illos perdidit, eorumque urbem cremauit. Deinde suis seruis ita dixit: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed inuitati non erant digni.

Quam-

*Quid sit
potentia.*

Quamobrem abite in triuia, & quoscunq;
 inueneritis inuitate ad nuptias. Ita profecti
 in vias illi serui congregauerunt quorquot in-
 uenerunt, tum malos, tum bonos, ita ut cõple-
 rentur nuptie conuiuiis. Ingressus autem
 rex, vidit ibi quemdam non vestitum veste
 nuptiali: Itaque iussit eum in tenebrosam
 carcerem compingi. Hæc est similitudo,
 qua dicta, subiungit Christus hanc sen-
 tentiam. Multi enim sunt vocati: sed pauci
 electi. Habes hic totum electionis argu-
 mentum: quod ut intelligere possimus,
 responde mihi ad singula. Rex ille quos
 ad nuptias inuitabat, volebatne ut veni-
 rent ad nuptias? an potius simulanter in-
 uitabat? L. V. D. O. Volebat omnino. Non
 enim inuitasset alioquin. F. E. D. Volebat-
 ne etiam ut eius seruos occiderent? L. V. D.
 Minimè verò, alioquin non puniuisset
 eos. F. Quid deinde cum iussit omnes
 quos famuli inuenirent ad nuptias vo-
 cari, volebatne ut omnes venirent ad nu-
 ptias? L. Sine dubio. F. Item quæ ut nupti-
 ales vestes afferrent? L. Ita, alioquin non
 puniuisset eum, qui non attulerat. F. E. D.
 Quid cum subiungit Dominus, multos
 esse vocatos, sed paucos electos? quos nã
 vocat electos? L. Eos nimirum qui venerunt

induti veste nuptiali. FEDER. Est igitur electio in veste nuptiali. LVD. Ommino. FED. Quid est autem vestis nuptialis? LVD OV. Nimirum nouus homo, hoc est, Christi noua natura, quæ per fidem induitur exuta vetere. FEDERIC. Age iam mi Ludouice rem totam in spiritu repetamus. Rex ille nimirum Deus est, qui Hebræos primum ad cœlesteregnum inuitauit per prophetas suos. Responde igitur cum eos inuitabat, volebatne vt venirent ad regnum? an potius simulanter inuitabat? LVD. Volebat omnino, cur enim inuitaret? FED. Volebatne etiam vt eius prophetas occiderent? LVD. Absit. FED. Quid deinde, cum iussit Christus Apostolis vt prædicarent euangelium omni creaturæ? Volebatne, vt omnes quibus prædicaretur euangelium seruarentur? hoc est, exutis per fidem carnalibus cupiditatibus, induerent nouum hominem, qui secundum Deum creatus est? L. Volebat. F. Rectè assentiris, Ludouice, si enim noluisset, cur iussisset? Cur deinde inobediētibus successuisset? Age iā: Est igitur electio in hac veste nuptiali iustitiæ Christi, quæ vestis ipse Christus est nouus homo, quem indu-

induunt fideles. L v d. Est. F e d. Dices-
 mus igitur electos esse eos, qui induunt
 Christum, nec aliunde pendere electio-
 nem: quemadmodum docet Paulus. *Si
 spiritu facta carnis necaueritis, uiuetis.* L v
 d o v. Ita quidem videtur Federice. Sed
 ista ratione videbitur electio non esse e-
 terna, sed vocationem sequi, cum tamen
 scriptum extet, *nos electos esse ante orbem
 conditum, ut essemus sancti.* Nunc in ista
 similitudine videtur eligere nos non ut
 simus sancti: sed quoniam sumus sancti
 F e d. Rectè mones. Sic igitur rem acci-
 pe. Fingamus regem hunc, de quo loqui-
 mur, sic secum antequam homines inui-
 taret ad nuptias deliberasse. Age volo ad
 nuptias vocare certos homines, videlicet
 illum, & illum &c. Quòd si fortè hi veni-
 re noluerint, iubebo obuios quosq; nul-
 lo discrimine vocari ad nuptias. Quòd
 si quis vocatus venerit veste sordida, eū
 in vincula conijciam, reliquos retinebo.
 Age Ludouice, cum ita deliberaret rex il-
 le, nonne elegit primum certos illos ho-
 mines ad nuptias? L v d. Ita. F e d. Sed v-
 trum re ipsa elegit, an potius animi pro-
 posito, & decreto? L v d. Proposito. F e d.
 Habuitne in eis eligendis vllum disci-

*Electio-
 distinctio.*

men? **LVD.** Habuit. Certos enim elegit, non quosuis promiscuè. **FED.** Quid cum deinde obuios quosque vocaturum se decernebat; nonne eos ad nuptias animo iam eligebat? Idque non ut primos illos, sed sine vlllo discrimine?

LVD O. Ita. **FED.** Fuerunt igitur omnes electi ante nuptias. **LVD O V.** Fuerunt proposito electi, sed non re ipsa: statuerat enim rex nullum in nuptijs, quamuis vocatum retinere, nisi qui nuptialem vestem attulisset. **FED.** Igitur qui vestem nuptialem attulerunt, ij & re ipsa in nuptijs, & proposito ante nuptias sine discrimine electi fuerunt. **LVD O V.** Ita. **FEDERIC.** Idem igitur & de Deo tibi persuade. Deus ante orbem conditum sic deliberavit: Volo hominem condere, qui habitet in paradiso, hoc est, qui sit beatus. Quod si is à iustitia, (sine qua beatus esse non potest) defecerit, mittam in terras cœlestem doctrinam, qua homo possit discere iustitiam ad recuperandam vitam beatam. Atque eius initium ducam à quodam Abrahamo, quem eligam ex gente Chaldaea, eumque & eius stirpem, doctrinam hanc deinceps à rudimentis docebo. Quod si o-

be.

bedire noluerint, mittam eis filium meum, qui maiores ad docendum vires habeat, quàm habuerint rudimenta legis. Quòd si ne ei quidem obedire voluerint, curabo vt omnes nationes nullo discrimine doceantur, & eos qui vocati, non se gesserint vt debebunt, puniantur, ceteros beatos faciam, & in illorum locum sufficiam. Dic mihi Ludouice, putasne huiusmodi fuisse Dei deliberationem, & decretum, si humano more loquendum est? L. Puto. FED. Iam in hac deliberatione nonne ante orbem conditum elegit animo, & proposito, idque cum discrimine Abrahamum & vniuersam eius progeniem, vt essent sancti? LVDØV. Ita. FED. Nonne deinde, cum illa progenies Abrahami salutem respueret, elegit sine vllò discrimine omnes homines ad salutem, dicente Christo, *Prædicate euangelium omni creature?* LVDØ. Videtur. FEDER. Sic igitur de Dei electione habeto: Deus principio elegit paucos homines reipsa, videlicet Abrahami semen ad cœleste regnum; sed postea in Christo interrupto interstitio, hoc est discrimine gentis Iudæicæ & cæterarum sublato, elegit omnes

*Electi tri-
plex.*

Eph. 2.

homines qui in Adamo lapsi fuerant, ad cœleste regnum. Necesse est enim vt Christi beneficium non minus latè pateat, quàm Adami maleficium. Alioquin nulla ratione verè dici possit, *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Neque itè illud, *Vbi abundauit delictum, magis abundauit gratia.* Vinceret enim gratia Christi à delicto Adami, si quoscunq; perdidit Adamus, seruare Christus nequiret. Sunt igitur omnes homines quibuscunq; prœdicatur Euangelium in Christo electi ad salutem, non re ipsa (Neque enim re ipsa eligi potuerūt antequam re ipsa essent) sed æterno dei proposito, quãdoquidem æternum Dei propositum, atque decretum vocari potest æterna electio, à qua omnium prima salus pendet. De hac electione loquitur Paulus, dum dicit fuisse nos electos ante orbem conditum. At ne fortè offendaris, quod dixi, eos, qui in Christo electi sunt non re ipsa esse electos antequam doceantur, perpende quid dicat ipse Paulus ad Ephesios. *Mementote, inquit, vos aliquando carne alienigenas in illo tempore fuisse sine Christo, ab Israelitica repub. alienos, sœderibus promissionis carentes, spem non habentes, et*
Dei

Dei expertes in mundo. Certè si erant sine Christo, si carebant fœderibus promissionis, si erant Dei expertes, non erant re ipsa electi: sed tum demum re ipsa electi fuerunt, cum Christum didicerunt.

Quemadmodum calamus tum demum re ipsa eligitur cum de arbore sua exciditur vt in aliam transferatur. Item illud *Vos abo non populum meum, populum meum, & non amatam meam, amatam meam.*

Atqui si re ipsa fuimus electi ante orbẽ conditum, re ipsa fuimus populus Dei, nec vnquam dici potuimus, non populus Dei. Et tamen ostendit. Paulus nos fuisse non populum Dei, & nunc factos esse populum Dei. Ex quo asserret, tum demum nos re ipsa eligi cum ad Christũ vocamur. Quemadmodum contrà: Iudæi tum demum re ipsa reiecti sunt, postquam Christum reiecerunt; vt qui antea Dei populus, & electi erant, iidem nunc sint non Dei populus. Est igitur *2 electio* altera electio, cum homo re ipsa eligitur hoc est quodam quasi delectu vocatur ad salutem. De hac loquitur Iacobus dum dixit, *Nonne Deus elegit huius mundi pauperes, fide diuites, hæredesque regni?* Atque hæc vtraque electio planè

gratuita est & omni cōditione caret. Neque enim spectat Deus vllum opus hominis cum eum eligit: neque quæsiuit, vel à Saulo, vel à Dauide, vtrum vellet ad regnum eligi: nec ei vllam conditionem proposuit, nec ita dixit, Eligam te ad regnandum, si hoc, aut illud præstiteris, sed ita, *Eligo te ad regnum*. Sic & Christus nō interrogauit apostolos, an vellent eligi, & vocari, non magis quàm pater filium nondum genitum interrogat, an gigni velit, aut deinde natum, an velit hæres institui. Est autem regeneratio generationis similis, vt sicut qui generandus est, nondum est, ita qui regenerandus est, nondum sit, videlicet id quod regeneratione futurus est. Sequitur tertia, & eadem vltima electio, de qua apud Esaiam cap. 48. Deus sic loquitur: *Eligam te in fornace calamitatis*. Ea est cum homo perleuerat, probatur & approbatur in cruce Christi tanquam aurum in fornace, seque fidelem, & constantem præbet vsq; ad finem. Sicut apud Daniele scriptū extat. *Expurgabuntur, dealbabuntur, & explorabuntur multi*. Tunc enim ei dicit Christus: *Euge serue bone, & fidelis, quia in paucis fuisti fidelis multis te præfaciam,*
intra

Esa. 48.

Dan. 12.

intra in gaudium Domini tui. Atque ad
 hanc electionem tendunt illæ duæ supe-
 riores. Neminem enim eligit, aut vocat
 ad salutem Deus, quin velit eum ad ean-
 dem perducere. Quod si hæc vltima si-
 ue electio, siue approbatio (nihil enim re-
 fert quo nomine vocetur, dum modo de
 re constet) esset priorum similis, hoc est
 vt in ea nulla haberetur ratio operum, o-
 mnes qui vocantur ad salutem, eligeren-
 tur. Nunc quoniam ea sequitur opera,
 fit vt multi qui opera præstare nolunt,
 ad eam non perueniant: sed à Christo
 ad salutem electi, ac vocati crucem recu-
 sent, ideoque non sint electi, hoc est ad
 salutem non perueniant. Hinc illa vox,
Multi sunt vocati, sed pauci electi. Eligun-
 tur enim tantum qui mundos, & fide-
 les sese præbuerunt, sicut aurum ad con-
 ficiendum excellens vas aliquod dele-
 ctum, tamen repudiatur, si in fornace re-
 pertum est non bonum: vt idem aurum,
 & electum vocari possit, videlicet ad o-
 pus, & repudiatum, videlicet in fornace.
 Hac electione, qui electi sunt, si perire
 non possunt, nec eos potest quisquam
 de Christi manibus extorquere: Quip-
 pe qui fidem præstanta extremum.

Qui enim perseuerauerit usque ad finem,
 inquit, is saluus erit. Neque verò me latet
 quæ de triplici electione dixi, ea dura
 videri posse: sed & sacræ literæ, vt iam o-
 stendimus, sic loquuntur. Neque durius
 hoc videri debet, quàm quòd Dauidem
 ter vinctum fuisse regem memoriæ pro-
 ditum est: videlicet primùm à Samuele,
 Bethlehemiæ, deinde Hebrone à Iudæis,
 tertio ab Israelitarum senatoribus ibidē.
 Ac ne fortè offendaris, quòd dixi multos
 ad salutem electos, tamen ad salutem
 non peruenire, potest id multis, & lucu-
 lentis exemplis plànum fieri. Principio
 Esau fuisse natura electum ad princi-
 patum dubitari non potest, cum esset pri-
 mogenitus, cui ætati natura debebatur
 hic honos. cumque ei electioni Iacob
 successerit, quod certè non potuisset, ni-
 si Esau fuisset electus. Neque enim à te
 auferri potest nisi id quod habes. nec al-
 liud primogenituræ ius emit Iacobus,
 quàm quod habuerat Esau. Et tamen
 hoc ius amisit, idque sua culpa, qui len-
 tis edulium, homo incontinens tantæ rei
 prætulèrit. Id quod accider omnibus E-
 sai posteris, hoc est malis, qui quamuis
 ad salutem vocati atque destinati, tamē
 ad

ad salutem non peruenient, quia voluptates saluti præferunt. Non ego hic dico Esauum esse ab æterna vita reiectum: sed dico eius illam reiectionem esse figuram æternæ, vt quod illi corporaliter euenit, idem sit spiritualiter eueturum impijs, Id quod obiter attigisse videtur author ad Hebræos, dum dicit: *Ne quis sit impudicus, aut profanus vt Esaus, qui pro vno cibatu ætatis sue prærogatiuam addixerit. Scitis enim cum postea felicitatem obtinere vellet, repudiatum fuisse.* Heb. 12 LVD OV. At non videtur repudiatio Esai, quod ad terrena attinet, figura esse posse repudiationis impiorum, quod ad cœlestia attinet, cum illa à Deo pronunciata fuerit antequàm nasceretur Esaus: hæc autem non nulla ex parte ab hominis voluntate pendat. Quo fit vt Esaus, nullo pacto à Deo electus fuisse videatur: postquam fieri non poterat, vt primogenituræ effecta non amitteret: quandoquidem id futurum Deus prædixerat. FEDER. Illa Esai reiectio, Ludouice, de qua & author ad Hebræos loquitur, & ego mea dicta accipi volo, nunquam ante Esai natiuitatem prædicta fuit. Fuerat equidem prædictum, fore, vt duorum populorum, qui

erant in ventre Rebeccæ, maior seruiret
 minori, at non vt Esaus prærogatiua ius
 venditione amitteret, sicuti fecit, ideoq;
 meritò reijceretur. Ego verò demonstrare
 volo, non Esaum amisisse fructū præro-
 gatiuæ, quæ omnino, sicuti tu dicis, amif-
 surus erat, sed amisisse etiam ius sua cul-
 pa, quod poterat nō amittere, & ad id di-
 uinitus electum fuisse. Accidit aut ei idē
 quod postea Rubeni, qui, quia patris tha-
 lamum polluerat, priuatus est nō solum
 fructu, sed etiam iure prærogatiuæ, quā
 in oēs fratres suos habebat. Sed præter E-
 sai exemplum à me allegatum, audies al-
 liud etiam manifestius. Elim pōtificem,
 quia in filios suos non animaduertat,
 vt debuerat, alloquitur his verbis Deus:
Equidem statueram tuam, patrisq; tui po-
steritatem in meo conspectu versaturam esse
in perpetuum: sed nūc absit hoc à me, vt qui
me in præcio habent, eos ego in præcio non
habeam: & qui me contemnunt, non despe-
ctui mihi sint. Itaque scio futurum, vt te re-
iecto, aliam mihi pontificem creem: &c. Hic
 apertè vides Ludouice, Elim Dei decre-
 to electum ad perpetuum pontificatum,
 tamen eo priuari propter suum pecca-
 tum. Idem dico de Saulo. Qui cum ad
 ater-

æternum regnum electus fuisset; repu-
 diatus est propter suam inobedientiam.
 Sic enim loquitur Samuel: *Stultè feci-*
sti, qui quod tibi à Domino deo tuo præcep-
tum erat, non feceris. Iam verò Dominus ti-
bi regnum in Israelitas æternum sanxisset.
 At nunc non erit firmum regnum tuum. Et
 hic apertè vides, Saulum etiam perpetuò
 regem futurum, nisi inobediens fuisset.
 Quin etiam non solum regno, sed etiam
 Dei spiritu priuatus est. LV D. Hic ego te
 interpellabo Federice. Dicunt nostri, Sau-
 lum non fuisse eo Dei spiritu præditus,
 qui reddit iustos, sed qui prudètes, & for-
 tunatos efficit in rebus gerendis. F. Etiã-
 si ita esset, Ludouice, non propterea non
 verum esset id, quod ego dixi, Saulum
 ad perpetuum regnum electum, in reg-
 no non mansisse. At nunc non ita est. Sic
 enim dicit Samuel. ei: *Cum illis prophetis*
tu quoq; Domini spiritu correptus uaticina I. Reg. 10.
bere, & in alium hominem mutabere. Quæ
postquam tibi signa euenisse contigerit, tum
facias licet, quod in manum tibi venerit, nã
tibi Deus aderit. Quæso te Ludouice, qui
 mutatus est in alium hominem, & cui fa-
 cere licet qd ei in manũ venerit, cui & De-
 us adest, esse is tantum prudens? an etiã

iustus? L. Videtur etiam iustus esse. F. Et rectè. Itaq; non solū prudentiæ, aut fortitudinis, sed etiam iustitiæ opera edidit; cum noluit vlcisci aduersarios suos, qui ipsum regem repudiauerant: fuit hæc ni mirum virtus eadem, qua postea præditus fuit Dauid, qui & ipse noluit vlcisci inimicos suos. Ita que ergo Saulus ubi priuatus est spiritu Dei, non solum ceteris virtutibus, sed etiam iustitia priuatus est: ita vt Dauidem voluerit occidere, & alios vnctos iniuste peremerit. Et quidē Dauid ipse postea ne itidem Dei spiritu priuaretur, metuit, quemadmodum in ipsius Psalmis videre est, quos scripsit post suum peccatum. Sed omissio Saulo veniamus ad totam gentem. Cur Deus eduxit Israelitas ex Aegypto? L. V. D. Vt eos duceret in Chanaanæam. F. E. D. E. R. I. C. Fuerunt igitur destinati electique ad illam terram. L. V. D. Fuerunt. Sic enim loquitur Deus: *Descendi ad populum meum eripiendum Aegyptijs, & deducendum ex ea terram in terram bonam, & amplam.* F. E. D. Et tamen non deduxit eos ipsos, quos eduxerat ex Aegypto. F. E. D. Non deduxit. F. E. D. E. Videsne destinationem illam, & electionem impediri contumacia:

Exod. 3.

cia, id quod illis exprobrat Deus dum di- Num. 14.
cit: *In solitudine ista cadent corpora vestra,*
neque quisquam ex omni vestrum numero,
qui viginti annis maiores censi estis, qui con-
tra me fremuistis, in terram perueniet, in
qua me vos collocaturum esse promisi. Quid
est promittere, Ludouice? nōne est plus-
quam destinare & eligere? certē est. Iam
de regno cœlesti loquamur, quod fuit in
illo terrestri figuratum. Fateberisne om-
nes Abrahami filios fuisse ad salutem e-
lectos atque destinatos? L V D O. Dubito,
cum Paulus dicat, non carnis filios esse
Dei filios, sed promissionis filios, proge- Rom. 9.
niem haberi. F E D E R I C. Nec ego lo-
quor de Ismaelis posteris, sed Isaaci, qui
cum natus sit ex promissione, certē om-
nes eius posterī sunt promissionis filij.
L V D O. At Paulus docet eum demum Rom. 2.
esse Iudæum, & circumcisum, qui corde
circumcisus est. F E D E R I C. Nec ego lo-
quor de vero, & spiritali Iudæo: sed de
eo qui sit ad id destinatus. Cum enim
corporis circumcisio figura circumcisio-
nis cordis, quorumcunque corpora cir-
cunciduntur, ij ad cordis circumcisionem
eliguntur. Alioquin esset inaniſſima cor-
poris circumcisio. Propterea dicebat Mo-

Rom. ii.

ses: *Circūcidite cordis vestri præputiū.* quāsi hoc diceret: Hęc corporis circuncisio vos inuitat ad cordis circuncisionē, ad quam vocamini. Ipse Paulus satis demonstrat, Iudæos oēs ad salutem fuisse destinatos dū eos oleę ramos appellat, qui infidētia sua fuerint excisi. Certē enim rami oēs sunt ad fructū ferendū destinati, qui fructus cui in lege nō fuerit, necesse est vt ad Christū in quem spectat lex, fuerint electi. In hoc enim solo sunt veri fructus legis. Itaq; quēadmodū omnis arbor destinata est ad etatē adultā, in qua fructus ferat, & omnis filius destinatus est ad hāre ditatē, & omnis puer destinatus est ad virilē etatē: ita omnes, qui sub lege fuerūt (Quæ lex fuere quædam rudimenta) destinati fuerāt ad Christū, in quo sunt omnes thesauri diuinę sapiētię. Iam cū Paulus scribat, Dei populū non esse reiectū à Deo, quippe cū Paulus ipse sit Israelita, ex Abrahami semine, tribus Beniamiticæ, certē loquitur de semine Abrahami secundum carnem, alioquin ineptē faceret mentionem tribus Beniamiticæ. Ex quo perspicuū fit ad semen illud secundū carnem pertinuisse, pmissiones, vt qui erant secundū carnem Abrahami filij, idē

herent secundū spiritum Abrahami filij. Hinc Christus nat⁹, & ipse ex semine Dauidis secundum carnem, principio discipulos misit tātum ad Israelitas, & eos ad cæteras gentes ire vetuit. Item de Chanaea fœmina respondit, se non esse miſſū nisi ad oues p̄ditas domus Israelis. Et alibi Israelitas filios regni vocat. *Filij regni*, inquit, *eijciētur foras*. Cur regni filios appellat? nisi quia ad regnum erāt destinati p̄missione facta Abrahæ? Quomodo aut̄ ei jciētur foras, nisi quod regno priuātur ad quod erāt electi? Alioquin falsū diceretur ei jci. ei jci enim foras nemo potest, nisi qui intus est. Quid q̄ de eis dicit Paulus: Quod ad euangelium attinet, sunt *Rm. xi.* p̄pter vos inimici. Quod verò ad electionē, sunt chari p̄pter maiores. Nōne vides hic electionē ad eos etiā Israelitas pertinere qui sunt inimici, euāgeliū q̄ repudiānt? Quid q̄ dicit Paulus illos fuisse reſectos, & nos in eorū locū inſitos? Parūne ostēdit nos nō iure primario, siue hereditario, aut naturali, sed inſitione siue adoptione (q̄ certē æterna nō est) fuisse ascitos & in eorū locum ſuffectos, sicuti ſucceſſit Esau Jacob⁹, Eli Samuel, Saulo David. L. Rectē tu q̄dē, Federice, nec ego cōtrā dico

Rom. II.

sed quæro tantum, quomodo possunt ista constare cum eo quod dicit Paulus; Dei munera, & vocationes esse irrevocabiles. Si fuit enim Saulus vocatus ad perpetuum regnum, cum eo exciderit videtur illa vocatio & donum fuisse revocatum. *FED.* O mi Ludouice, etiam condonatio illa debiti revocata est apud *Matth. 18.* *theum. Serue nequeam, inquit, cum ego tibi condonassem, nonne debuisti tu vicissim condonare conseruo tuo?* Sunt equidem Dei dona per se irrevocabilia, sed donorum acceptio interdum mutatur. Quod promissit Christus duodecim apostolos sessuros in duodecim tribunalibus, id est irreuocabile, est quæ necesse, ut sint duodecim apostoli, qui sedeant in totidem tribunalibus: etiam si cælum, & terra abolerentur, tamen non posset id non fieri. Sed ut in eis Petrus, & Iudas, cæteri quæ certi homines sedeant, hoc verò necesse non est. Itaque quoniam Iudas ex eo munere excidit surrogatus est Matthias ne mancus esset numerus. Quod si Petrus quoque excidisset, fuisset in eius quoque locum suffectus alius. Itaque fuisset semper dictum illud verum: *Vos qui me secuti estis, sedebitis &c.* At Iudas non

non sedebit, credo: non est enim ad finem usque secutus: & illam secutionem perfectam, atque ad finem usque durantem esse oportet. Itaque est eiusmodi promissio, & donatio cum tacita conditione coniuncta; quæ conditio alibi exprimitur multis in locis, cum dicit: *Nisi ego te lavero non eris meus particeps.* Item: *Nisi superauerit iniustitia vestra iniustitiam Scribatur, & Phariseorum.* Item: *Nisi quis renatus fuerit &c. Nisi quis renunciauerit pa-* Ioan. 3.
tri, & matri, &c. Ex his conditionibus apparet, donationem quidem esse irrenouabilem: sed acceptionem certè esse mutabilem. Ideoque donum nisi ab eo cui datur, accipiat, ad alium transferri. *LV D.* Mihi vera videntur, quæ dicis, *Federice*, sed istis solent opponere nostris quasdam promissiones, quales sunt illæ. *Quicquid mihi dat pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eijciam foras: Itē. Hæc est voluntas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ mihi dedit, sed resuscitem ea in nouissimo die.* Item: Ioan. 6.
Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Ego cognosco eas, & vitam æternam do eis, nec peribunt vnquam, neque rapiet eas quisquā de manibus meis. Item: *Gaudete*

1. Cor. 10.

2. Cor 9.

Rom. II.

quòd nomina vestra scripta sunt in cælo. Ex his pmissionib. volūt ostēdere debere nos cōfidere ppetuò nos fore saluos, quia illi us semel facti sum⁹. F. Quid si nos pmissionib. istis minas opponam⁹ Ludouice, quæ nō min⁹ verē sunt quā pmissiones? *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat. Itē, in seruis es in populū Dei, noli superbire, sed time. Potest. n. Deus te iterū excindere, vt alios inserat. Itē. Castigo subigoq; corpus meū, ne cū alios docuero, ipse reiectus sim. L. Respōdēt, Paulum nō simplicē seueritatem Christianis dissuadere, sed supinā ac solutā carnis securitatē, q̄ fastū, arrogantia, aliorū cōtēptū secū trahat, humilitatē extinguat, ac reuerētiā Dñi, acceptāq; gratiæ obliuionē inducat. F. Ista responsio à me est Ludouic. ipsis q; aduersat. Nā si in tuēda est securitas, q̄ vitia ista secū trahat metuendū est etiā ne succindamur. Certū est. n. eū, in quo insint ista vitia, nō posse seruari. Si volūt sentētiā suā tueri, oportet vt negēt, timēdum esse, ne q̄ Christo credit, excindat. Atq; ea est aptissima Pauli sentētia: *Vide inquit, dei benignitatē, & seueritatē: in lapsos seueritatē, in te benignitatē, si modò in benignitate permanseris. Alioquin et tu rescaberis, et illi, nisi in diffidētia*
per-*

permāserint, inferētur. Quid hic respōdēt,
 Ludouice? Dicit Paulus, *Et tu ressecaberis
 nisi in benignitate permāseris.* Respōdebūt
 fortasse, eū nō posse nō permanere in be-
 nignitate. Cur ergo metuēdū esse docet
 Paul^o, si id euenire nō potest? Aut cur di-
 cit recisos fuisse Iudæos, si nemo inſitus
 recidi potest? Quocūq; te vertas Ludoui-
 ce, aperta est hæc veritas. L. Quid igit re-
 spōdebis ad illas pmissiōes quas modo
 dixi? F. Illud ipsū q̄ iam antē attigerā,
 De Dei benignitate, & volūtate diffidere
 nō debem^{us} quin velit seruare nos, sed de
 nobis certē diffidere debem^{us}, ne Dei cō-
 filiū in nobis irritū reddam^{us}, sicuti fecis-
 se iurisperitos scribit Lucas, atq; ita domū
 regnūq; Dei trāseratur à nobis ad alios. *Luc. 7.*
 Huic sentētiæ nō aduersant pmissiōes
 illæ, quas tu dixisti. *Omne quod dat mihi
 pater ad me veniet, et eū qui veniet ad me, nō
 eijciā foras.* Nō. n. foras eijcit Christ^{us} eos,
 qui volētes ab eo tāquā mali serui ab he-
 ro deficiūt. *Hec est voluntas eius, qui misit
 me, ne quid perdā ex omnib. quæ dedit mihi.*
 Credo. neq; nos querimus, an sit volūtas
 patris vt seruentur (nō enim vult mortē
 impij, nedū pij hominis) sed an pire pos-
 sit qui seruari nō vult: an verò De^{us} quēq;

seruet inuitū, cū dicat Christus: *Et vos nō vultis abire? Itē illud, Oues meæ vocem meā audiunt, & sequuntur me.* Quis negat? Sed & illud verum est. *Qui facit voluntatem patris mei, is meus frater, & soror, & mater est.* Hic vides, quæ sint oves Christi. Sed quid hoc ad rem? Si enim desinerent eius audire vocem; desinerent esse veræ oves: Et hoc ipsum est quod metuendum dicimus. At enim nunquam peribunt inquit, nec eas rapiet quisquam de manu mea. Credo: non enim ouis est Christi qui perit, sed ouis Christi esse desit, si antè fuit. Neque de Christi manu rapitur, qui sponte transfugit. Quicunque manet in Christo, is scriptus est in libro vitæ, habetque causam cur gaudeat. Perire non potest, quippe qui sit in patris præsidio, qui est omnium maximus. Sed cum extra Christum nulla sit salus, quicunque ex Christo exit, hoc est, qui sit arrogans, aliorum contemptor, & humilitatem, Domini que reuerentiam extinguit, accepta que gratia obliuiscitur, is perit. Posse autem hæc fieri, patet cum ex alijs, tum maximè ex illo loco, ubi loquitur Dominus de immundo spiritu, qui per agratis locis aridis, reuertitur in prio-

priorem domum, ex qua fuerat eiectus. Potest igitur eiectus immundus spiritus reuerti, hoc est: potest qui Christum induit contristare Spiritum sanctum, & ad vomitum redire sicuti canes & lota sus ad cœni volutabrum. Atque ita in causa esse, vt ipsius nomen deleatur de libro vitæ. Fuerunt omnino Israelitæ Dei populus, nec eos potuit quisquam Deo de manu eripere: sed postquam ipsi ultro Deum deseruerunt, Deus eos vicissim deseruit, non ereptos, sed desertores. L v d. Equidem mihi vera videntur ista, sed velim vt mihi ea de electione explanes, q̄ scripsit Paulus ad Romanos, ne quid restet in animo meo scrupuli. Torfit me sanè illa Pauli disputatio diu, necdum me explicare potui, adeo obscurus, & implicatus mihi videtur in ea parte Paulus. Equidem credo locum illum vnum esse *1. Pet. 3.* de illis, de quibus scripsit Petrus, esse in eius epistolis obscura quædã, quæ indocti, infirmi q̄, vt & cætera scripta, in suã perniciẽ detorquẽt. F. nō malè credis, Ludo uice: Sed quomodo cognoscemus quinã locũ detorqueãt in suã perniciẽ? Detorqueri enim eũ certũ est, cũ incōtrarias interpretationes trahatur, quarũ alterã, fal

sam esse necesse est. L. Equidē nescio. F. At ego faciā, si permittat Deus, vt scias si me benignē attēdere voles. Nō dubitas, opinor, qn angusta sit via salutis. L. Non dubito. F. Quicūq; igit sacras literas quę nobis viā ad salutē ostēdūt sic interpretātur, vt homines in viā latā adducāt, de ijs credo dubitari nō potest, quin eas detorqueāt in suā pniciē. Exēplo sunt illi falsi pphete Iudeorū, qui populo semp blandiebātur, dicētes electū esse populū Dei, nō ituros in Babiloniā. Deinde vbi abducti fuerūt, breui reuersuros, breui fractū iri iugū Nabuchodonosoris. Hinc voces illæ plenæ securitatis, & arrogantiæ: *Tēplū Domini, Tēplū Domini, patrē habemus Abrahamū*. At veri pphete semper viā angustā docuerūt, etiā si esset Conenias anul⁹ in manu mea, inde te detrahā. Sic loquitur Ier. Vides quā nolit cōfidentes esse eos, q deo sunt etiā coniunctissimi? quid enim homini coniūctius quā dexteræ manus annulus? nisi sint obediētes. ipse Iohānes quā seuer⁹? *Nolite vobis in eo placere, quod patrē habetis Abrahamū. Ex saxis citius filios excitabit Deus, quā vt tales filios agnoscat.* Quid Christ⁹? *Filij regni* inquit *eycientur in imas tenebras. Eripietur à vobis regnū, et dabi-*

Matth. 3.

dabitur genti, quæ fructum edet suo tēpore.
 Hi, & alij infiniti loci satis ostēdūt nō esse
 confidendū electioni, nisi in electione p
 maneat. Atq; hoc est q̄ scribit Petrus, *su* 2. Petr. 2.
dete rectē factis ratiā efficere vestri vocationē
ac electionē. Iā veniamus ad prophetas nō
 stri tēporis, inueniemus eadē. Sunt qui
 docēt eos perire nō posse, qui electi sunt
 Christo q̄ credunt. Ex hac doctrina quis
 fruct⁹ existat, volo te ipsum testē sumere
 Ludouice. Fuit nuper apud vos cōtrouer
 sia inter pastores duos, quorū vnus docu
 erat, à Deo necessitari (hoc enim verbo v-
 tuntur) homines ad peccādū. Alter opini
 onē hāc oppugnabat. Dic mihi Ludoui-
 ce, q̄s fuit tū status populi? L. Vix audeo
 dicere: tamē fatendū est: Nihil vnquā vi-
 di calamitosius. Ita furebat populus, & in
 tantā licentiā pruebat, vt vulgō audirent
 hæ voces, Peccemus, postquā Deus vult
 peccatum, & nos necessitati subiici peccā
 di. Breuiter totus ferē populus preceps fe
 rebatur in horrendam peccandi licentiā
 nisi huic malo magistratus obuiā iuisset
 decreto suo. F. Isti nimirum sunt fructus
 istius doctrinæ. Non sanabitur, mihi cre
 de, vulnus istud tam facile, quā fuit in-
 flatum, tam tenax est populus licētiosæ

doctrinæ. Confer nūc alteram doctrinā, quæ docet Deum nolle iniustitiam, vide bis eius fructū esse timorem Dei, quod initiū est sapientiæ. Sicut illa securitas initiū est stultitiæ. Deberet exemplū istud vestrarum turbarū suspectam reddere doctrinā etiam apud imperitos, quæ tales fructus edat. Qualis enim fructus est, talis est etiam arbor. Perpende omnia, inuenies plerosq; oēs homines, qui doctrinam istā admittunt, ea reddi deteriores. Beati qui alieno periculo sapiunt: sed his omisissis, veniamus ad Paulū. loquitur Paulus in nono capite ad Rom. de electione nominatim, vt scis: & quia cū electione coniuncta est reiectio, facit etiā reiectionis mentionē. Et quoniam obscurus est, præfabimur, si tibi videbitur, generatim, aliquid de hoc argumēto, quod nobis pateat via ad intelligendū verba Pauli. Fateberis, opinor, eos qui eliguntur, eligi gratuita Dei misericordia: qui verò reijciuntur, reijci propter sua peccata. Sic

Deut. 9. et
10.

enim de Israelitis, & Chananæis scriptum extat. *Non propter iustitiam vestram vos illorum terræ possessionem inuaditis: sed gentes illas deus propter ipsorum peccata vobis euerit, tum vt id præstet quod maioribus*

ribus vestris iuravit. Item paulò post: *Deus maiores vestros amore complexus; eorum posteritatem*, hoc est, vos ceteris omnibus anteposuit nationibus. Hic vides Israelitas, hoc est pios, amore Dei gratuito, sine villo suo merito eligi: Chananæos verò propter peccata sua repudiari. L. Video. F. Item: Rubenem primogenitura, Saulum regno, Elim, pontificatu, Iudam Apostolatu propter sua peccata abdicatos fuisse. Et illis Iudam, Dauidem, Samuellem, Matthiam, nullo suo merito, sed merito Dei amore gratuitaque misericordia successisse. L. Fateor. F. Ex his opinor, generalem inuiolabilemque regulam statui mus, quæ est apud prophetam. *Pernicies tua à te est Israel: Salus autem à me*: dicemusque omnes qui seruantur, gratis seruari, omnes verò qui pereunt, merito suo perire. Admittis hæc Ludouice? L. Admitto. F. Quid si quis his contraria dicet? L. Non admittam contraria. F. E. D. Quid si Paulus dicet? L. Nunquam ille quidem dicet, ut arbitror. F. Sed quid tamen, si dicet? L. Neceffe erit aut ei non credere (id quod nephas est) aut eius dictum secundum regulam illam interpretari. Nec enim potest esse veritas, verita-

ose. 13.

Rom. 9.

ti contraria. F. Age iam verba Pauli perpendamus. *Neg; verò illi solum, inquit, sed etiam Rebecca, ex Isaaco parente nostro verum ferenti, scilicet natus, nec vllò bono maloue functis, ut Dei per electionem decretum, non ex operibus, sed ex vocante ratum esset, Rebecca, inquam, dictum est, maior seruiet minori, quemadmodum dictum est, Iacobum amavi, Esauum vero odio habui. Age iam Ludouice. Dictum illud Moysi, Maior seruiet minori, Vtrū de duobus hominibus dictum fuit, an de duobus populis? L. De duobus populis. Sic enim al*

Gen. 25.

loquitur Rebecca Deus. Duæ sunt gentes in ventre tuo, Duoq; ex vtero tuo populi diuidetur, quorum alter altero plus poterit, & maior seruiet minori. Non dicit duo homines, sed duo populi. F. Quid illud Malachia, Iacobum amavi Esauum verò odio habui? L. Etiam de populis, non de duobus hominibus dictum est. Sic enim loquitur ibi Deus: Iacobum amavi, Esauum autē odi, eiusq; montes in vastitatem, & possessionem in Draconum solitudinē redegi. Quod si decreuerūt Idumei (Vides hic eum de populo loqui) se, qui per vastati sint, diruta refecturos: Sic dicit armipotens Iona: Quod ipsi construxerint, ego euertam, vocabunturq; fi-
nes

nes impietatis, & populus in quem Ioua se-
nit in perpetuum. Hic manifestè loquitur
de populo, non de homine, & quidem de
re præterita non futura. F. Quid Paulus?
Quomodo citat vtrunq; locum? L. Istud
ipsum est quod me torquet, quòd videt
Paulus vtrunq; citare de duobus homi-
nib. id q; de re futura, cum & vtrunq; de
duob. populis, & alterum, videlicet Mala-
chiæ, de re præterita dictū esse constet. F.
Quomodo conciliabimus hæc Lud. vtrū
manifestā historiā ad Pauli obscura ver-
ba detorquebimus? an poti⁹ Pauli obscu-
ra verba historiæ perspicuitate declarabi-
m⁹? L. Historia, cū & apertior & prior sit,
torqueri nō potest, præstat Paulū enuclea-
re. F. Rectè iudicas. Debēt enim obscura
declarari, nō clara obscurari. Sic igitur ré-
percipe: Non potest hæc Paulus quasi de
Iacobo & Esau dicta nominatim citare,
cū de populis, non de hominib. pronun-
ciata fuerint: tamen quia illi homines fu-
ere patres populorum, & ipsorū fuit ea-
dem conditio, quæ postea populorum,
non absurdè possunt illa etiā de homini-
bus ipsis citari. L. Sed non seruiuit Esau
Iacobo, quin potius imperauit. F. Princi-
pio nō seruiuit, sed tadē seruiuisse videt.

Nam tandem ex Chananæa cessit, ut à Iacobo longius abesset, & in montem Seir concessit; locum Chananæa longè deterio- rem, quæ certè non sunt im- perantis, sed potius maiori cedentis. Itaq; credibile est, quemadmodum primùm fuit Esaus primogenitus, sed postea Iacobus felicitatem, quæ alioquin erat E- sai, à patre obtinuit, ita fuisse re ipsa tan- dem Iacobum imperio superiorem, post- quam fuisset inferior. LV D. Sed quo- modo deinde quadrabit illud, *Esaum o- di*? Neque enim dictum fuit antequam nati essent. FE D. Neque Paulus id ita vi- detur allegare. Sic enim dicit: Quemad- modum scriptum est, Iacobum amavi, Esaum odi. Quasi hoc dicat, Quod apud Mosè futurum prædicitur, id apud Ma- lachiam præteritum narratur; ut appare- at quod promiserat Deus id etiam præ- stitisse. Neque enim fas est putare, Esa- um antequam mali quippiam fecisset, fuisse Deo inuisum, cum Deus nihil o- derit nisi malum. Illud quidem prætere- undum non est, sed horum verborum, Esaum odi, eam esse notionem, ut sit pe- rinde, ac si dicat, minus quàm Iacobum amavi: atque huiusmodi locutionem in-
veni-

venies in Deuteron. vbi de eo agitur, qui
duas vxores habeat; quarum vnam ode-
rit, alteram amet. Ibi certè odisse nihil al-
liud est, quàm minus amare. idque com-
paratè dicitur, quomodo ex duobus diui-
tibus inter sese collatis, dicere solemus,
pauperem eum, qui minus quàm alter
diues est. Cum enim illo seculo vxores
repudiare licuerit, videtur vix vnquam il-
lud, quod ibi dicitur vsu venire potuisse,
si odisse ibi propriè dictū accipies. Quis
enim cum verè oderit vxorem, retineat:
si & possit non retinere, & alteram quam
amet, habeat? Eodem modo poni vide-
tur; & illis Christi verbis: *Nisi quis oderit*
patrem & matrem &c. non est me dignus.
Neque verò locum hic habet regula il-
la, qua dicunt contrariorum eandem es-
se doctrinam. Sic enim argumentantur:
Si vasa misericordiæ amantur antequam
boni quicquam fecerint, etiam vasa i-
ræ odio habentur antequam mali quic-
quam fecerint. Hoc sanè est & naturam
abolere, & Dei seueritatem (si tamen se-
ueritas esset & non potius iniquitas) æ-
quare eius misericordiæ, contra experi-
entiam, contraque omnium sacrarum li-
terarum testimonium. Nam quod ad na-

turam attinet, nos ipsi amamus natos nostros antequam boni quicquā fecerint: sed nō odimus antequam mali quicquā fecerint. Quòd si nos qui mali sumus, tamen hac in parte plus bonitatis habemus quàm seueritatis: quanto magis Deus, qui bonus est? De Dei verò misericordia quid testantur literæ? *Deus est ad iram tardus, ad misericordiam propensus*, ita vt eius misericordia extendatur vsq; ad mille genera, cum ira aut odium extendatur tantum ad tria aut quatuor genera, idq; in eos qui ipsum oderunt. Vides odium Dei in eos esse qui ipsum prius oderunt, tantum abest vt eos oderit, qui nihil mali fecerunt. Quamobrem cum sit hic dissimilitudo, nō debet dici similitudo. Est enim in eo dissimilitudo quòd Deus gratis amat, & seruat: At nō gratis odit, & perdit. L. Attamen in eo videtur similitudo, quòd dicit se misericordiam tribuere ijs, qui ipsum amant, eiusq; præcepta exequuntur, punire verò eos, qui ipsum oderunt, eiusque præceptis non obediunt. Nam vtrobiq; causa videtur esse in homine, videlicet punitionis inobediētia: misericordiæ verò obedientia. F. Ita est Ludouice. Sed intelligendū duas esse misericordiæ causas

fas, poenæ verò vnam. Misericordiæ cau-
 sa prima est Dei bonitas gratuita, qua ho-
 minem, antequam boni quicquam fece-
 rit, amat, & beatæ vitæ destinat: sicuti tu
 filium tuum antequam tibi obediuisset
 amasti, & hæredem instituisti. Altera
 misericordiæ causa est obedientia homi-
 nis, propter quam Deus suam in eum mi-
 sericordiam auget, confirmat, ratamque
 facit, ut iam dicat: *Euge serue bone, & fide* *Matth. 25.*
lis, quia in paucis fuisti fidelis multis te præ-
ficiam, intra in gaudium Domini tui. Quod
 si homo prima illa misericordia prouo-
 catus non præbet se fidelem, repudiatur:
 & talento, quod Domini benignitate
 gratuita acceperat, priuatur non quidem
 gratis, sed propter suam vel perfidiam,
 vel pigritiam: quemadmodum tu, si fili-
 us tuus tibi dicto parens est, cum magis
 magis quæ amare pergis, ei quæ hæredita-
 tem confirmas: Sin profligatum se, &
 inobedientem præstat, exhæredas, non
 gratis, sed propter eius inobedientiam,
 quem hæredem statueras, non propter
 eius obedientiam (nondū enim tibi obe-
 diuerat) sed gratis amore patrio. Ita fit,
 ut hæreditatem filius tuus lucrari non
 possit obedientia sua. Est enim hæres

antequam obediuit. Sed perdere certè
 possit inobedientia. At odij causa vna est
 inobedientia; quod Deus (sicuti bonus
 pater) neminem odit nisi propter eius in
 obedientiam. Atque hoc ipsum est, quod
 dixi, odij aliã rationem esse quàm amo-
 ris. Amor enim gratuitus est, odium, nõ
 itẽ. Est enim Deus Deus amoris & mise-
 ricordia, non odij & iræ. Quod si sic sine
 hominis merito odisset hominem, quẽ-
 admodum eundem sine eius merito a-
 mat, tam posset dici Deus odij, & iræ, quã
 Deus amoris, & misericordia, id quod
 vel cogitare impium est. LV D. Quid igi-
 tur sibi vult Paulus dum continuo ita
 scribit: *Quid ergo dicemus? Estne in Deo in-
 iustitia? Nihil minus. Mosi enim dicit: Gra-
 tia facio, & misericordiam tribuo cuiusq;
 mihi collibitũ est. Ergo non est volentis, neq;
 currentis, sed gratiam facientis Dei.* FEDE.
 Vtrum de electione loquitur, an de reie-
 ctione? LV D. De electione. Nos verò de
 electione totum concedimus, gratuitam
 esse, & totam in Dei bonitate & miseri-
 cordia positam: sed reiectionis aliam es-
 se causam suprà demonstraui mus. LV D.
 Sed negant electionem esse posse, quin
 eadem ratione sit reiectio. FED. Malè
 ne

negant Ludouice. Eligere enim & amare gratis licet, reijcere, & odisse gratis non licet. Propterea ostendit Deus, sicut antè demonstrauimus, se amare, & beneficijs afficere Israelitas gratis: Sed Chananæos punire non gratis; sed propter eorum scelera: Itemque scriptum extat, pios amatos & electos fuisse antequam essent, sed impios inuisos aut reiectos fuisse antequam essent, nusquam scriptum est. Adde quod potest esse electio absque reiectione, sicut amor absque odio, & primogenitus sine secundo. Itaque Adamus cum solus esset, fuit electus, & si nemo peccasset, fuissent omnes electi. Et tuus filius tibi est electus; nec tamen vllum filium tuum reiecisti. Et Christus patri electus est; cum sit tamen primus & vltimus, hoc est solus. Quare qui reiectionis eandem rationem esse tradūt, quam electionis, ij ex dissimilitudine faciunt similitudinem. L v d. Est sanè Federice, sed cur dicit Paulus, Est ne iniustitia in Deo? Quis enim nescit iniustitiam non esse, si quis alicui gratis benefacit? Certè iniustitiæ vocabulum videtur ponere ad soluendam obiectionem, quæ ita fieri posset: Si Deus odit Esau, nondum na-

tum, videtur iniustus, ad quam videtur respondere Pau. Habet Deus tantam in homines potestatem, quātam figulus in lutum. Itaque non facit homini iniuriam, si eum quamuis non meritum damnat. Atq; huc spectare videtur quod scribit de induratione Pharaonis. F. Ita quidem videtur Ludouice: & si hic solus locus de Pauli scriptis extaret, non haberē (vt verum fatear) quod reponderem, sed cum & Dei iustitia, & vniuersæ sacræ literæ, & alia insuper scripta ipsius Pauli reclamant, necesse est vt aut aliter intelligatur eius verba, aut ipse sibi contrarius esse videat, id quod absit. Ac de iustitiæ ratione antea, sicut opinor, satis locuti sumus. Quod ad Paulum attinet, præter alios plurimos locos, extat iustitiæ Dei pulcherrima descriptio in hac eadem ad Rom. epistola: Vbi sic loquitur. An diuitem eius benignitatem, & facilitatem, ac lenitudinem contemnis, ignorans te Dei benignitate ad poenitentiam inuitari? Tu vero quæ tua est duritas, & deploratus animus, congeris ipse tibi supplicium, in supplicij diem, & representationis iusti Dei iudicij, qui suis cuiq; factis digna soluet. Quæso te Ludouice, quid

Rom. 2.

*De Dei in
finita.*

cat iustum Dei iudicium? L. Soluere suis cuique digna factis. F. Atqui si Esau nondum natum odit, & propter odium illud eum indurat, non soluit ei digna factis, cum nihil fuerit Esau ante illud odium: quod idem dico de Pharaone. Ex quo efficitur ut hæc Pharaonis induratio non conueniat cum Pauli regula illa de iusto Dei iudicio. Quod si Paulus eo confugiet, ut dicat illud de Figulo, iustum esse quicquid vult Deus, quia summam potestatem habeat, respondebitur ei; inane igitur esse eius illam regulam de iusto Dei iudicio. Non minus enim iustum esse Dei iudicium si soluat cuique non digna factis, quam si digna factis: si modò est eius factum & voluntas regula iustitiæ. L. Quomodo igitur locum hunc explicabimus? F. E. D. Bene, ut spero Ludouice, fauente Deo. Dicebat pater ille familiaris murmuratori; *Amice non facio tibi iniuriam. An mihi non licet uti meis arbitratu meo?* *An tuus oculus malus est, quoniam ego bonus sum?* Sic hoc loco dicet Deus: An mihi non licet tantum cuique dare, quantum volo? & gratiam facere cui volo? Nemini facio iniuriam si huic plus bonorum dare volo quam illi.

Math. 20

hanc esse huius loci sententiam patet ex verbis Moysis, quibus Deus dicit, se gratiam facere cui vult. Quod si cuiquam gratiam facere non vult, non propterea iniustus est. Nemini enim quicquam debet. Verum aliud est nihil dare, aliud dare malum. Si nihil boni dat homini Deus, non propterea iniustus est. Nihil enim ei debet. Sed si malum daret homini, non merito, faceret ei iniuriam. Faceret enim contra regulam illam iustitiæ, quam ipse præscripsit, & hominibus &

Deindura sibi metipsi. LVD. Quid igitur sibi vult illa Pharaonis induratio? *FED.* Quid sibi vult illa hominis duritas de qua modo loquebatur Paulus cum diceret: *An ignoras te Dei benignitate ad pœnitentiam inuitari? Tu verò quæ tua est duritas, & deploratus animus, congeris ipse tibi supplicium.* Quæso te, possunt ne hæc conuenire? Dei benignitas hominem ad pœnitentiam inuitat: & Deus indurat cor hominis? Aut hæc, Hic sua duritate repudiat Dei benignitatem, qua ad pœnitentiam inuitatur, & Deus indurat cor hominis? Nonne hæc sunt pugnantia? LVD. Planè. *FED.* Cum sit igitur vtriusque sententiæ author Paulus vtrum dicemus eum
 fl.

secum pugnare , an potius alteram eius
sententiam altera accommodabimus? L.
Accommodemus potius. F. Sed vtram
vtri accommodabimus? L. Nimirum am-
biguam, si forte altera non est ambigua.
F. Rectè mones, Iam illam de Dei beni-
gnitate, quæ hominem inuitat ad pœni-
tentiam caret, opinor, omni ambiguita-
te. L. Ita est. Sed & hæc de induratione
videtur, & ipsa carere ambiguitate. Scrip-
tum est enim disertis verbis: *Indurauit*
dominus cor Pharaonis. Idq; non semel.
F. Et quidem scriptum est disertis verbis:
Indurauit Pharaon cor suum, idq; non se- *Exod. 8. 9.*
mel. Vter igitur indurauerit, cum hoc v-
triq; tribuatur? L. Nescio. F. Queramus.
Habent, vt scis, homines non renati cor
lapideum, id quod & experientia, & sa-
cræ literæ docet, vbi promittit Deus sese *Ezech. 36.*
populo suo exempturum cor lapideum,
& daturum cor carneum. Quod cum ita
sit, non potest cor hominis indurari non
magis quàm lapis: Sed cum non possit
cor hominis molliri nisi à Deo, qui id
creauit, fit vt quos non mollit, eos indu-
rare dicatur. Solent enim sacræ literæ ita
loqui, vt aliquem, & maximè Deum fa-
cere dicant quæ fieri permittat, Sic loqui

Ier. 15.

tur Ierem. vbi dicit. *Tu rem nosti Domine, memento mei, eamq; mei curam habe, vt me à meis insectatoribus vlciscaris. Noli me tua lentitudine tollere. Hoc est, noli tua ad irā tarditate sinere aduersarios meos mul-*

** Proue. 6. tos: Quòd si feceris, tollent me. Item So-
19. & 23. lomo, Castiga inquit, filium tuum dum spes*

est, & eum necare, animum ne induxeris. hoc est, noli ei indulgere, & habenas laxare, alioquin peribit. Atque hunc locum explicat idem Solomo alibi dum dicit: Puerum castigatione priuare noli, quem si ferula verberabis non incitetur. Eum tu se-

fendes. Et idem alibi: Non facit esurire Dominus hominem iustum. hoc est, non per-

Iob. 19. & 20. mittit esurire. Nam quem non pascit Dominus is esurit. Sic quem non mollit, is

durus est. Sic & in Iobo dicitur Deus priuasse struthio camelum sapientia. Hoc est, nō donasse. Sic enim ipsemet ibidem interpretatur: Quin & prophani autho-

res ita loquuntur. Sic enim scripsit Cic, Et Cimerijs quidem, quib. aspectum solis, siue Deus aliquis, siue natura ademerat, hoc est non dederat. Sic igitur dicitur indurare Deus, quos non mollit, sed deserit in-

duritate sua. Sic & in Esaia, conuertitur

po.

populus: *Cur nos à vijs tuis Domine, auer-* *Esā. 63.*
tis? cur mentes nostras à tui reuerentia auo-
cas? Vides Ludouice, quam dura vox, quā
 contraria Paulo dicenti, durum hominē
 Dei benignitate ad pœnitentiā inuitari.
 Vt si verba hæc spectes nec alios locos ha-
 beas, putes planē populum ab ipso Deo
 indurari. At si rem totā consideres, vide-
 bis planē contrarium. Sic enim modo di-
 xerat propheta. *Domini beneficentiā, Domi-*
ni laudes cōmemorabo, pro tot eius erga nos
meritis: totq; bona, quæ in Israeliticam domū
pro sua misericordia, & beneficentia singula-
ri contulit. Quos cum populum suum filios
fidem non falsuros cogitaret, eis se seruatore
ita præbuit, vt in tot periculis non periclita-
rentur, eius apparitore genio eos conseruāte
proq; suo amore, & indulgentia eos redemit
sublatosq; olim tanto tēpore pertulit. Vides
 hic Ludouice, prædicari Dei in Israelitas
 beneficentiā, merita bonā, misericordiā,
 amorem, quo scilicet eos ad pœnitentiā
 inuitaret, quale est quod paulo antè cita-
 uimus ex Paulo. Audi iam populi indu-
 rationem nō utiq; à deo, sed ab ipsius po-
 puli peruersitate proficiscentē. Sic enim
 scribit Esaias. *Sed illi contumaces eius S. spi-*
ritui dolorē fecerūt, sequitur deinde pœna

*Quid &
vnde sit in-
duratio.*

Rom. 2.

Itaque versus eis in hostem, ipse eos oppugnat. Et hoc illud ipsum est, quod scribit Paulus. Sed tu, quæ tua duritas est, congeris ipse tibi iram siue supplicium in diem supplicij. Habes hic ordine, Ludouice, quid sit induratio, & quæ sit eius origo atque causa. Primum homo à pueritia durus est, & ad malum propensus, nihilque prius discit, quàm peccare. Sed quia hoc nõ destinata malitia, sed vitiata naturæ propensione facit, Deus misericordiæ plenus, eum sua benignitate, doctrina, spiritu sancto inuitat ad poenitentiam: Verum impius eius benignitatem, spiritumque repudiat, & contristat. Et sicuti aspis sibi aures obturans in peruersitate sua volens, sciens, data opera perseverat. Hac est propriè induratio, qua seipsum indurasse Pharaõ dicitur; nec non Israelitæ, vbi sic eos alloquitur Dauid. Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, sicuti patres vestri scilicet obdurarunt sua. Hac hominis tam peruersa & omnem misericordiam aspernante induratione offensus Deus, eum derelinquit, & suo spiritu à malo auocare desinit. Ita derelictus homo, fertur deinceps laxis habenis in omne flagitium, non secus.

secus ac derelictus in præcipiti lapis fertur deorsum: aut derelicta septaque spoliata vinea vastatur à feris, sentibusque obducitur. Atque ita dicitur homo à Deo induratus. hoc est in duritate sua derelictus. Quanquam si quis dicat, hominem sic à Deo derelictum, insuper priuari naturæ dotibus, quibus antea præditus fuerat: atque ita Sathanæ arbitrio traditum, in omne nefas prolabi; non repugnaero. Huc referenda sunt dicta illa, quibus Deus videtur præcipere peccatum, cum tamē non præcipiat, sed vetare desinat; postquam hominem videt inobedientia pertinacem. *Ite, inquit, colas suos quisque Deos.* Item Christus, *Implete mensuram patrum vestrorum.* Hoc est postquam à peccando non vultis auocari, pergite tanē ut tandem poenas detis. Neque tamen ritē dixeris illos iussu Christi impleuisse mensuram patrum suorum. Quemadmodum si pater prodigo, perditoque filio dicat, *i scortare, pota, lude, & peri.* Non propterea dixeris postea, filium illa fecisse iussu patris. Rimare omnia Ludouice, non inuenies aliam indurationem, nec vllum comperies hominem unquam sic à Deo fuisse induritate sua de-

Deut. 32.

relictum, nisi qui prius Dei monita, spiritumq; malitiosè, & improbè contempserit. Plenæ sunt exemplis sacræ literæ. Primus Moyses de Israelitis sic scribit. *At probi pinguefacti recalcitrarunt, & deum conditorem suum reliquerunt.* Et mox. *Hæc videns Dominus hanc liberam suorum improbitatem indignè fert: & ita fatur.* *Abscendam ab eis vultum meum; videbo quem habituri sint exitum.* Vides causam desertionis. Deseruntur nimirum, quia priores Deum deseruerunt. Ipse Pharaos, & Aegyptij cur ita in duritate sua derelicti fuerint facile videbit, qui eorum antegressam in Israelitas inhumanitatem perpenderit. De qua sic scribit Salomo.

Sap. 19.

Nam digna peruersitate sua patiebantur, qui grauiorem inhospitalitatem exercuissent. Siquidem alij ignotos aduenas non recipiebant: alij bene meritos hospites in seruitutem redigebant. Iam verò quonam supplicio puniendi, qui extraneos vel inimicè acciperent, vel festiue admissos, & iam eiusdem iuris factos grauib; afflarent laboribus? Ergo etiam cecitate mulati sunt, ut illi (videlicet Sodomitæ) pro foribus hominis iusti (scilicet Loti) cum tetris circumfusi tenebris sua-

rum

rum quisque forium exitum quere-
ret. De gentibus scribit Paulus: Quia
cum Deum cognouissent, non ut Deo di- Rom. I.
gnum erat honorarunt; permisit eos De-
us in turpes libidines. Denique ut o-
mnia examinaes, comperies hominem
non prius à Deo deserui, quàm ipse De-
um deseruerit. Itaque quod scribit Pau-
lus: Quem vult misereatur: & quem vult
indurat, non sic accipiendum est, quasi
Deus aliquem sine vlla causa induret,
aut derelinquat. Cum non solum alij sa-
cri authores, sed etiam Paulus ipse (Qui
sibi certè contrarius esse nequit) causam
ostendat, ut modò diximus) propter quã
Deus hominem deserat. Alioquin si pro
sua libidine hominem sine vlla manife-
sta causa indurat, quæso te, cur neminẽ
vnquam induravit, qui non ante im-
probum se præstiterit? Cur semper ante-
cedit hominis improbitas indurationẽ,
si induratio ab improbitate non oritur?
L V D O V. O mi Federice, equidem cum
tuas rationes per se considero, videntur
mihi verissimæ; sed cum rursus ocu-
los ad Pauli verba conuerto, non vide-
tur hic Paulus secũ ipse consentire. Sic e-
nim scribit. Te ad hoc ipsum excitavi ut in te

Hic est no. meam ostendam potentiam, vique meum no. dus totius men. toto orbe. predicetur. Ergo quem vult disputatio. miseratur, & quem vult. inderat. Dices mihi.

hi; Quidiam queritur? Nam eius voluntati quis resistat? Eho homo, in quis er, qui cu. Deo disceptes? Scilicet dices fictile fictori. cur me sic fecisti? Hic planè videtur Pharaò excitatus ad poenam; Dei que voluntas esse, vt peccet Pharaò, quo deinde ad Dei gloriam puniatur. F E D E R I. Vtinam quidem, & hoc in loco, & in quibusdam alijs. Paulus mentem suam copiosius, & apertius exposuisset. Hæc ego opto non propter me, qui his Pauli verbis non offendor; quippe qui sequar Paulinæ doctrinæ tenorem perpetuum, non vnum, aut alterum locum, impeditius aut obscurius dictum: sed propter infirmiores quosdā, qui prætermiſſis penè innumeris locis ijs que apertissimis, imò prætermiſſo perpetuo cursu sacrarum literarum in vno aliquo loco sibi hærent, quasi cæterorum omnium nulla debeat haberi ratio, aut quasi non debeāt potius pauculi loci ad totius doctrinæ summam accommodari, quàm tota doctrina ad paucos locos detorqueri. Age igitur, vt omnia excutamus. Quod dicit Dominus. Te ad hoc ipsum.

ipsum excitauit, non loquitur de creatione
 quasi Pharaonem creauerit ad poenam,
 sed cum esset iam impius Pharaon, dele-
 git, & excitauit eum Deus ad poenam, id
 que propter ipsius impietatem. Sicuti
 magistratus facinorosum aliquem exci-
 tat & deligit ex vinculis ad patibulum.
 Sic dicitur Deus suscitasse Salomoni ad
 Reg. 3. 11.
 uersarius Adadum Idumæum. Itemque
 Razonem Eliadæ filium; non quod eos
 ad id nominatim creauerit: sed cum es-
 sent iam antè Salomoni infesti propter
 causas quæ in historia narrantur, delegit
 eos Deus ad puniendum Salomonem.
 Ad illud verò quod dicit Paulus; *Eius vo-*
luntari quis resistat? respondebit ipsemet
 Paulus, qui, vt supra ostendimus, scripsit
 dueros, & deploratos homines dei benig-
 nitate ad poenitentiam, inuitari: ex qui-
 bus verbis apparet Dei voluntatem esse,
 vt durus homo poenitentiam agat. Quæ
 sententia conuenit cum illa, *Nolo mortem*
peccatoris sed magis vt conueriatur, & vi-
uat. Illud tamen fateor, fieri aliquando
 hominis immodica improbitate, vt De-
 us eum ad extremum sic deferat, vt velit
 eum (non ille quidem esse improbum,
 sed cum sit iam nimis improbus) perge-

re in improbitate sua, neque sic tamen velit improbitatem. Exemplo fiet hoc magis perspicuum. Habes ebriosum famulum, qui sæpe monitus non obtemperat, & velles tu quidem vt esset sobrius: sed postquam ipse non vult, vis eum punire, atque vt puniendi occasionem habeas, relinquis cellam vinariam apertam, & ei poenas minaris si potauerit. Hic tu cupis nō vt fiat ebriosus (odisti enim eius ebriositatem) sed certē, vt postquam ebriosus esse perseuerat, cupis vt inebrietur, quò eum punire possis. Atq; istud est non amare ebriositatem, sed velle ebriositatis patefactionem atque fructum. Sic Deus cum vellet filios Elis punire, non dedit eis vt patris monitis obtemperarent; id quod fuit non improbitatem volentis, sed improbitatis patefactionē. Est enim Improbitas, & peccatum (si propriè loqui volumus) nō actio ipsa, sed animi peruersitas; à qua proficiscitur actio. Quam quidem animi peruersitatem non vult Deus: sed si eam retinet homo pertinacius, vult interdum Deus, vt ea erumpat in actionem. Eadē est ratio si quādo punit Deus fontes, aut etiam affligit infontes per impios, vt pu-

I. Reg. 2.

niuit Israelitas per Chaldeos. Non enim fecit impios Chaldeos, vt per eos puniret Israelitas. Sed cum essent Chaldæi iā impij abusus est ad eam rem illorū opera. Neq; Iudam Iscariotum fecit impiū, vt Christū proderet: sed impiū nactus eum abusus est eo. Quemadmodū si quis filiū improbū amandat ad triremes, vt ibi affligatur, nō amat, aut probat ille quidem crudelitatem nautarum: sed cum sint crudeles conijcit filium suum in eorum manus. Et quidem illi sæpe grauius affligunt, quā vellet pater; id quod olim fecisse Chaldæos in Israelitas, extat apud Zachariam, vt intelligas illam permissio *Zach. I.* nem esse, non præceptum: Deoque actionem non placere impiorum, sed passionem eorum quos vult affligi. Atque ad hanc normam interpretandi sunt loci illi: *Audite, & ne intelligite. obstina Esa. 6.* *cor istius populi ne audientes audiant. Item. Ideo credere non poterant, quod item dixit Esaias. Eorum & oculos ex-* *Ioan. 12.* *cecauit &c.* et si qui sunt huius generis. Si quis igitur ob improbitatem suam ita desertus est à Deo, vt Deus velit vt eius improbitas erumpat in actionem, quò puniatur, & is quærit cur ea

sit Dei voluntas cui resistere non possit,
(Verè enim nõ potest homo nõ peccare,
si ita deferitur à Deo) huic respõdet Pau-
lus illud de figulo: *Tu quis es qui cum Deo*
disceptes? Potest Deus iure suo te perdere
propter peccata tua, sicuti figulus vas frá-
git in quo est aliquid vitiij. Sed intelligé-
dum est, hic esse duas similitudines im-
plicatas, vnã de vasis quæ ad res inhõ-
nestas fiunt: alteram de vasis quæ fran-
guntur. Non est enim idem frangi, & in
re inhonesta esse vsui. Prior igitur sic ha-
bet: Quemadmodum figulus ex eadem
massa vasa facit, alia ad res honestas, alia
ad res inhonestas; ita Deus ex eadem ge-
neris humani massa alios homines cre-
at, vt sint in Christi corpore quasi oculi,
aut aures, aut manus, vt sunt Prophetæ,
Apostoli; Euangelistæ, Doctores: Alios
vt sint quasi pedes, aut partes immunde,
vt sunt cæteri, quibus non tantas dotes
largitus est Deus. Atque hic non est
quod quisquam de Deo figulo conque-
ratur: Nulla est enim harum conditio-
num quæ non bona sit. Nec vllum est
tam vile membrum, quod non sit vsui.
Altera similitudo est hæc: Quemadmo-
dum bonus & sapiens figulus nullum

vas facit ad frangendum: sed si quod vas vitiosum esse contigit, id frangit: ita Deus nullum hominem creauit ad perdendum: sed si quem hominem malum esse contigit, eum perdit. Potest hæc similitudo confirmari ex ipso Paulo qui dicit, *Deus vult omnes homines saluos fieri. Item Conclufit omnes sub inobedientia, vt omniū miferetur.* Animaduerte verbū hoc, *Ludouice, vt omnium miferetur.* Est ergo eius voluntas, & consilium non perdere, sed misereri omniū, qui sint inobedientes. Quamobrem sic est conferendus Deus cum figulo, vt cum bono figulo confertur, qui nolit operam suam perdere. Item vt non tollantur aliæ similitudines, quibus Deus cum patre confertur, qui nouit bona dona dare filiis suis. Certè hæc de figulo similitudo non potest illā & alias tollere, nec potest eis esse contraria. *L. v. d. o. v. c.* Sed videtur Pauli eo in loco non ea mens esse, vt pios inter sese conferat, quum id ad eius institutū non quadret, cum perspicuum sit, eum de discrimine loqui, quo discrepant ij, quos Deus frangere vult, ab ijs, quorum vult misereri. *F. E. D. E. R. I. C.* Est ita: eam quæ ob causam dixi, duas hic esse implicatas si-

similitudines: quas quia Paulus obscure confudit, nobis sunt secundum ipsius rei naturam explicandæ, atque distinguendæ: nisi volumus hallucinari, propterea priorem similitudinem, de qua hic Paulus non agit ex professo, seorsum, quasi extra Pauli institutum exposui: deinde posteriorem ex professo, & ad rem sum persequutus. L V D O V I C.

Sed respondent hic nostri, Deum longè differre à figulis, quibus sæpe lutum inter manus temerè perditur præter ipsorum consilium, Deo nihil posse tale accidere, cum omnia eius nutu ferantur.

FEDERIC. At Deus aliter loquitur, quàm isti: *Sperabam ius*, inquit apud E-
Es. 5. et 63. saiam, & ecce iustus: iustitiam, & ecce que-
relas. Item in illo quem supra diximus loco: Quos cum populum suum fidem non falsuros cogitaret: adde & quod de Pharisæis & legis peritis scribit Lucas, eos Dei consilium, quod in ipsis fuit, irritum reddidisse. Cum enim Dei consilium esset, ut baptizarentur, baptizari recusarunt. Hic certè aliquid accidit contra Dei consilium: neque tamen non fuit in eo Deus omnipotens. Cum enim essent illi homines, volebat eos
 fer.

seruari vt homines: hoc est ita demum, si ipsi salutem volentes admitterent. Ita fit, vt sic hic similitudo, non inter Deum & figulum, (nam vtriusque consilium est vasa facere, non frangere, nisi sit in vasis vitium) sed inter Dei & figuli materiam. Nam Dei materia homo est, qui verbis & praeceptis, quia eorum capax est, regendus est: At figuli materia, lutum est: quod cum sit surdum, non verbis sed tantum manibus tractandum est. **LVDVICE.** Sed cum sciat Deus qui nam homines sint perituri, cur perituros creat? Nam in eo dissimilis est figulo; qui si sciret, quæ nam vasa peritura forent non ifaceret: at Deus sciens tamen facit. **FEDERICE.** Difficilis sanè quæstio ista est: quare, vt eam peruestigare possimus attento opus est animo. Proinde attende. Si nesciret Deus quid futurum esset homini, & eum crearet ad salutem: sed homo sua deinde improbitate seipsum perderet, quid diceres? **LVD OV.** Dicerem hominem sua culpa perire, nec vllam causam habere de Deo conquerendi, quòd periret,

sed potius ei gratias agendi, quòd ab eo creatus ad salutem fuisset. **FEDERIC.** Atque sic loquitur Deus, in illis, quos modò citauimus locis, vbi dicit, se sperasse ius ab Israëlitis, quasi nesciret eos iniustos fore. Cuius locutionis ea vis est, quasi hoc dicat: Si sciuissem eos iniustos fore, non fecissem quod feci. Quod quidem dictum hominibus religiosis, ac non curiosis pro responsione ad tuam questionem satis esse potest: si modò credunt illa diuinitus esse dicta. **LYDOVI.** Non nego; sed finge me esse paulo curiosiorem: nam illud ipsum est, quod ego miror, Deum ita loqui, quasi futura nesciuerit. **FEDERIC.** Nimirum id ipsum est, quod heri dicebamus; Deum non scientia, sed voluntate agere. Itaque debent homines in Dei voluntatem, non prænotionem intueri. Quare finge, Deum apud Esaiam sic ad populum suum verba facere. O Israëlita: ego vos ad salutem creauì, & docuì: fuit quæ mea voluntas & consilium, vt salui essetis, non periretis: itaque quòd nunc peritis, vestra venorum culpa est, qui nolitis seruari: hoc est, ea facere iubente me, quæ sunt vobis ad salutem necessaria. Quòd si quaeritur,

tur, Nonne vos salutem esse repudiatur-
 ros præsciuerim? respondeo hoc, nihil
 ad vos in hac causa pertinere. Neque
 enim mea prænotio, vel fontem me, vel
 vos infontes facit: Nam siue præsciui, si-
 ue non præsciui, vos fontes estis, qui sa-
 lutem à me oblatam repudiaueritis, cū
 admittere possitis: & ego non solum in-
 nocens, verū etiam benè de vobis me-
 ritus, qui vos tot beneficijs affecerim, plu-
 ribus insuper affecturus, nisi per vos ste-
 tisset. Quare fingite me peruersitatem
 vestram non præsciuisse, nonne suppli-
 cio digna est vestra ingratitude & contru-
 macia? Rursum; ponite me præsciuisse,
 nonne tanto sum laudabilior; qui licet
 ingratos fore vos scirem, tamen tot be-
 neficijs ornare non cessauerim? Iam ve-
 rò si vos eo consilio atque voluntate cre-
 assem, & instruixissem, vt perderem, esset
 quod de iniquitate mea cōquereremini:
 sed cum ad salutem creauerim, & vos ser-
 uari, si voluissetis, potueritis, nō est quod
 in me, sed in vos ipsos culpam confera-
 tis. Quod si queritis, cur ego vos creau-
 rim si perituros esse sciebam? responde-
 bo, Vē, qui contendit cum fictore suo, fi-
 ctile cum terræ opifice: scilicet dicet ar-

gilla fictori suo, quid agis? aut caret opus
tuum ansis. Vē, qui quærit ex patre quid
gignat, aut ex fœmina, quid enitatur.
Quid enim indignius est, quàm eū, qui
creatus est, quærere ex creatore suo ratio
nem, cur se creauerit? Debetis nō ex me
quærere, cur vos creauerim: possum e-
nim respondere, libuit & licuit: sed mihi
gratias agere, quòd creauerim, & quidē
ad felicitatem: quòd si peritis, vestra cau-
sa est. quam culpam ego vobis punien-
dis in gloriam meam conuertam: non
quia vos, eo consilio creauerim, vt pu-
nirem (esset enim hoc mihi non glori-
osum, punire quos ad pœnam creassem)
sed quia vos irritum reddentes consiliū
meum, pœnas estis commeriti, quas à
me vobis irrogari, mihi gloriosum est
eos puniēti, quia à me ad iustitiam crea-
ti, iniustos se præstiterint. Hæc, inquam,
si sic loquatur Deus, Ludouice, nonne
tibi, quāuis paulo morosiori, satis fece-
rit? LVD. Nondum, Federice, scire enim
velim, vtrum Deus, quòd se dicit ab Is-
raelitis ius sperasse, re vera sperauerit. Si
enim præsciuit, & tamen in eis docen-
dis laborauit frustra, idq; sciens, labora-
uit, neque ea in re conferri potest cum sa-
pien-

piente figulo, qui si peritura quæ facit
 vasa sciret, ut iam dixi, ea non faceret. F.
 Bene dicis, Ludouice, credamus igitur,
 eum sapientis esse figuli similem, & quo-
 niam se ab Israelitis ius sperasse tam a-
 pertè dicit, eius verbis simpliciter fidem
 adhibeamus, & hic curiosi esse desina-
 mus. L. V. D. Rectè mones, atque ita fiet.
 F. Atqui sic sæpe loquitur in sacris literis
 est q; hæc vera huiusmodi de figulis simi-
 litudinū notio. Quare sic de Deo cogite-
 m^{us}, ab eo neminē creari ad perniciē. Sed
 quia libera voluntate præditi sunt homi-
 nes, plerique Dei voluntati nolunt ob-
 temperare: atque iꝑperduntur, & vasa i-
 ræ appellantur. Non quia eo consilio
 fuerint creati; sed quia is est euentus;
 quemadmodum & antè ostendimus:
 & Paulus ipse sic loquitur dum dicit:
Ne ad pœnam conueniatis. Ibi enim I. Cor. II.
 de euentu loquitur, non de consilio.
 Nec enim eo consilio conueniebant ad
 dominicam cœnam Corinthij, ut pœ-
 nam sibi accerserent. Intelligi possunt
 hæc ex ipsis Pauli verbis. Quod enim
 vocat iræ vasa, ea in hac eadem episto-
 la sic descripserat: *Exeritur ira Dei*
de cælo in omnem impietatem, & inini- Rom. 2.

furiam hominum, veritatem iniuste suppri-
mentium. Vides quæ vasa sint iræ, homi-
nes scilicet qui veritatem iniuste suppri-
mant; quæ iniustitia conciliatiram Dei.
Quodd si quis dicet eos fuisse creatos ad
veritatem iniuste supprimendam, pri-
imum horrendum in modum blasphe-
mabit Deum; deinde erunt excusabiles,
cum tamen dicat Paulus eos inexcusabi-
les. Tertio reclamabit Paulus; qui dicit,
Deum tulisse multa cum patientia vasa
iræ: Quæ verba conueniunt cum illis,
quæ superius citauim⁹, videlicet: te Dei be-
nignitas ad penitentiam inuitat. Tu verò,
quæ tua est duritas, & deploratus animus,
congeris ipse tibi supplicium sine ram in di-
em iræ. Quæso te, quid absurdius est,
quàm dicere patientiam tibi esse ubi suc-
cedunt res ex animi voluntate, atque sen-
tentia? Potestne figulus patiens appel-
lari, cum fiunt vasa, qualia vult ipse fieri?
An non patientiam in ijs intelligimus,
quæ fiunt aliter, quàm volumus? An nō
est hoc ita perspicuum, vt contra dicere
ne sathan quidem possit? Quid ais Ludo-
uice? Habesne aliquid, aut legisti ali-
quid, quo refelli hæc possint? L V D O V.
Equidem legi aliquid, sed quidnam, id
sit.

Rom. 2.

fit, non memini. **FEDER.** Credo. Sed age si librum habes, lege locum. **LVD.** Faciam. Respondet hic meus author, tacilem esse istius de Dei patientia, objectionis solutionem. Paulum enim coniungere patientiam cum potestate, ut ostendat Deum non solum permittere, sed etiam gubernare sua virtute quaecunque fiunt. **FEDERI.** Intelligisne solutionem istam? **LVD OVIC.** Plane non intelligo. **FEDER.** Nec ego scio quid sibi velit, nisi quod qui male agit odit lucem. Solent qui disputant contra veritatem, facere quod solent caufidici: Dicunt aliquid ita obscure, ut id nemo intelligat: Ita se causam obtinuisse putant. At nos veritatis clarissimæ discipuli, hoc dicimus: Si fert iræ vasa Deus multa cum patientia, displicet ei res. Alioquin non esset patientia, sed deletatio. Et si ea benignitate sua inuitat ad poenitentiam, non vult ut pereant, sed ut conuertantur, & viuant. Tu si quid habes, quo hæc refellas, dicito. Sin minus pergamus. **LVD O.** Ergo verò nihil habeo. **FEDER.** Veniamus igitur ad Ieremiam, ad quem Paulus in hac similitudine videtur alludere, & quod à Paulo breuius, & obscurius dictum est,

id Ieremias clarioribus, copiosioribusq;
 verbis explanauit. Certè si tam copi-
 ose, & apertè scripsisset hoc in loco Pau-
 lus, quàm Ieremias, nulla inter eos cerne-
 retur discrepantia: Nec enim veritas à ve-
 ritate dissidere potest. Quamquam, si ve-
 rum fatèdum est, si alter ab altero discre-
 paret, mallet hoc in loco Ieremiæ crede-
 re quàm Paulo, idq; duabus de causis. Pri-
 mū quia Ieremias scribit, & apertius, &
 naturæ rei conuenientius: siquidē Pauli
 verba quædam, ac nō potius perpetuum
 eius tenorem doctrinæ velis pertinacius
 vrgerè. Deinde quòd apud Ieremiam lo-
 quitur Deus ipse, cum Paulus loquatur
 ex sua persona. Quantum autem referat
 utrū ipse ex sua persona, an verò Dei mā-
 dato loquatur, apparet ex ipsomet qui a-
 licubi. Sic scribit: *Coniugibus præcipio non*
ego, sed Dominus. Et paulò pòst. *De virgini-*
bus Domini præceptum non habeo; sed con-
silium do. Vides vt nolit eādem suis verbis
 authoritatem tribui quam Dei. Sed vt ad
 rem veniamus, sic scribit Ierem. (Et quæ-
 so te vt eius verba diligenter attendas) Ie-
 rēm. his verbis alloquutus est Dominus.
Age, descende in domum figuli, & ego illic tibi
mea dicta nuntiabo. Igitur ego digressus

3. Cor. 7.

in domum figuli eum offendi opus facientē Hier. 18.
 in rotis. Cūq; in figuli manu corruptū esset
 vas, quod ex creta faciebat, uerauit, & ex eo
 vas fecit aliud, ut ei visum est. Tūc mecum
 Dominus sic uerba fecit: Scilicet ego nō pos-
 sim uobis facere, ut figulus iste, domus Israeli-
 tica inquit Dominus? qui quidem quod est
 in figuli manu creta, id estis in manu mea?
 Verbi gratia minabor alicui genti aut regno
 euerfurum, excidium, interitum: si ea gens
 cui minatus fuero, sese à suis sceleribus retra-
 xerit, ego quoq; malo temperabo, quo eā affi-
 cere cogitauerā. Dic mihi Ludouice, quæ
 causa est hic ut Deus mutet propositum,
 & pœnam reuocet? L. V. D. Gentis emen-
 datio. F. E. D. Igitur si gens illa non se cor-
 riget, erit vas iræ. L. Ita. F. Potest igitur
 declinari ira illa genti destinata. Sicut eā
 declinarunt Niniuitæ? L. Potest. F. Non
 est igitur gens illa creata ad iram. L. Non
 est. F. Et tamen si se non emēdabit, est iræ
 destinata. L. Est. F. Vides igitur destinatio-
 nē illā (destinatio enim est, cū Deus dicit
 alicui genti moriere, aut ego nescio quis
 sit destinatio) nō esse irreuocabilē, & De-
 um uelle, ut qui sunt morti destinati sese
 corrigant, & uiuant. Pergit deinde. Rur-
 sum inquit exempli causa, promittā alicui

genti, aut regno constructionem, aut stabilitatem, si me offenderit, meis dictis non obtemperando; ego quoque bono temperabo quod ei conferre statueram. Responde, & hic Ludouice, Cum dicit Deus alicui genti, viues, & stabilis eris, vultne vt viuat?

LVD. Vult. FED. Quid si gens cum offendit, & ita mortem sibi cō fiat, nōne facit contra eius voluntatem?

LVD. Planè. FED. Quod igitur eam perdit non facit quia eam ad poenam creauit, sed quia gens illa eius dictis obtemperare noluit. LVD. Ita. FED. Neque verò eam creauit ad inobedientiam

LVD. Nequaquam. Non enim promitteret ei vitam, si eam ad mortē creasset.

FED. Fit igitur illa gens vas iræ suæ inobedientia, non Dei creatione: quemadmodum antè de Saulo, Iuda, & cæteris demonstrauius. LVD. Fit. FED.

Est ergo Deus bonus figulus, qui nullū vas creet ad perdendum. LVD. Videtur.

FED. Pergamus igitur. Videbimus hoc apertè in verbis Ieremiæ. Sic enim pergit loqui Deus: Quapropter age refer Iudæis, & Ierosolymitanis hæc verba: En ego malum in vos molior, & quidem cogito: retrahite vos à sua quisque vitiosa consuetudi

ne, vestrasque consuetudines & mores corrigite. Vides hic Ludouice Dei benignitatem illam à Paulo prædicatam, quæ illos ad pœnitentiã inuitat? Vides deinde eorum duritatem, & cor à pœnitentia abhorrens, Dicunt enim Minimè verò; quin cogitationes nostras sequemur, & sui quisque animi prauæ obsequemur, improbitati. Videsne Ludouice, vnde nascatur ira Dei? Potesne cogitare Deum cum eos tam benignè ad pœnitentiam vocet, cum deinde peccatis eorum tam acriter irascatur & supplicium irroget, tamen eos ad peccandum creasse? Talemne tu figulum potes cogitare Deum, qui vasis suis irascatur, quia talia sint, qualia ipse voluit? Quis tale monstrum feret in homine figulo, nedum in Deo? *Vi-* Apoc. 3.
nam, inquit, aut frigidus esses, aut fervidus. Ergo quia tepidus es euomam te ex ore meo. Cur dicit, Vinã? Nisi quod non solum vult, sed etiam optat? Cur deinde euomit eum, si ille talis est qualem ipse esse vult? Ludouicus. O mi Federice, vincit me oratio tua, & planè cogit assentiri. Sed est alius locus Pauli, quem etiam mihi velim explicari. Sic enim scribit:
Quos prænotauit, etiam destinauit imaginis

Rom. 8.

filij sui consimiles: vt sit is in multis fratribus primogenitus. Item quos destinauit, hos etiam vocat, et quos vocat hos etiam iustificat, & quos iustificat, hos etiam gloriosos efficit. Hic locus videtur aduersari ijs quæ tu antè dixisti. Docuisti enim quosdam destinatos, & vocatos ad salutem, ad salutem tamen non peruenire. At hic Paulus docet eos, qui sunt destinati, gloriosos effici. F. Iam tibi dixi eos, qui à Deo electi sunt per eum quidem nunquam esse perituros. Itaque ipse quidem, quod in se est, gloriosos efficit, quos seruare decreuit: sed & illud ostendi posse huiusmodi decretum per ipsos irritum reddi, quippe cum conditione coniunctum. quam conditionem facile est nõ præstari, videlicet vt sibi renunciaret, & in eo ad finem vsq; perseveret. L. Pendet ergo nostra salus à perseverantia? F. Pendet ab omnib. Dei donis, quæ sunt partim extra nos; partim in nobis. Extra nos sunt Dei misericordia, destinatio, electio, vocatio. In his donis nihil neque nobis præcipit, neque à nobis exigit Deus. Sed hæc omnia nobis si ne vlla conditione confert: In nobis sunt fides, virtus, scientia, temperantia, patientia, pietas, fraternus amor, charitas. Quas

vñ.

virtutes perseverando, à Dei benignitate consequimur, & sine quibus saluti esse non possumus. Est enim salus in ultima virtutum, hoc est, in charitate, quæ est amor Dei, imò quæ est ipse Deus.

LUDOVIC. O mi Federice, mihi planè satisfactum est tuis dictis. Sed velim, nisi *An personarum rationem habet Deus.* molestiam afferat, ut mihi explices de ea quæ in sacris literis appellatur personæ acceptio, an ea cadat in Deum, ut certè cadere videtur, si manet electio gratuita. Cum enim Abrahamum, & deinde Israelitas, nullo eorum merito elegerit ex cæteris nationibus, videtur habuisse rationem personarum. f. Debes existimare mi Ludouice, rationem personarum dici duobus modis, quorum primus vitio caret etià apud homines, & is cadit in Deum: alter est vitiosus, & is non cadit in Deum. Nihil enim cadit in Deum quod vitiosum esse ipse statuerit, homines quæ facere vetuerit. Primus est cum aliquis de suo tantum cuique largitur, quantum vult, id quæ gratis: ut rex ille qui ad nuptias invitavit, quos voluit, cum nemini deberet. Item, ille, qui dedit uni quinque; *Matth. 25* talenta; alteri duo, tertio unum. Sic & Deus Abrahamum, & Israelitas gratis elegit, & dotavit, neque de eo quisquam cõque

ri, aut ab eo eius facti rationem exigere potest: quippe qui nemini quicquam debeat. Sic & in singulis hominum nationibus, atque terris non æqualiter sua bona distribuit. Alias enim nationes collocauit in solo fertili, atque felici: Vt Italiam, vt Galliam, Narbonensem & alias. Quasdam verò in solo sterili, & multis tempestatibus obnoxio: vt Alpinas gentes, & omnino eas, quæ nimio vel solis ardore, vel frigore infestantur. Idem quæ in singulis hominibus videre licet. Alij enim natura pollent memoria: alij indicio: alij tardiores sunt, & ad omnia ineptiores. Atque hic nihil est quod quicumque conqueratur, cum nemini quicquam debeat Deus. Cui parum donauit is etiam illud ipsum quod habet debet, tantum abest vt de eo conqueri possit, cui etiam debet. Alter habendæ rationis personarum modus cernitur in iniquitate, vt si plures diuitem facias, quia diues sit, quam pauperem; aut si iudex viduam, aut pupillum damnet, quia defensore careant: diuitem absoluat, quia potens sit. Et hæc personarum ratio non cadit in Deum sicuti docet Paulus. Nullū est, inquit, apud Deum personarum discrimin.

Rom. 2.

men: Nam quicumque sine lege peccauerint
 sine lege etiam peribunt. Item: Quicumque
 cum lege peccauerint, per legem damnabun-
 tur. Atque hic vides concidere vestram
 prædestinationem. Si enim creauit ali-
 quem hominem Deus ad damnationē,
 •dit, & damnauit eum antequam pecca-
 uit, atque ita habet personæ rationem,
 qui hominem damnauerit infontem.
 Est autem animaduertendum discriminē
 illud, quod ante Christi aduentum fuit,
 cum solos Israelitas populum suum di-
 ceret, sublatum esse aduentum Christi,
 qui maceriam interrupit, & ex duobus
 vnum fecit, vt in Christo non sit Iudæus,
 aut Græcus, sed tantum noua creatura.
 Itaque cum Christus principio discriminē
 illud seruasset, (Nam & discipulos suos
 vetuit adire peregrinas gentes; & respon-
 dit se non esse missum nisi ad oues perdi-
 tas domus Israeliticæ: vnde sit perspicu-
 um Israelitas tunc & electos, & solos ele-
 ctos fuisse) posteaquam rupto in eius
 morte velo templi resurrexit, discrimen
 sustulit, iubens euangelium prædicari
 cunctis gentibus. Quinetiam ante sub-
 latum discrimen illud non ita respuebat
 gentes exteras, vt non liceret exteris ho-

minibus in Israelitarum temp. cooptari dummodo circumciderentur. Quod si ante Christi aduentum poterat externus homo & non electus (Nec enim electæ fuerunt gentes ante Christum) tamen in Abrahami stirpem ac semen ascisci, electus quæ fieri, quanti magis sublato illo discrimine potest quiuis, quamuis profanus, & non electus, tamen eligi? Eritne Christus vlli homini durior, quàm fuit illi Chananææ foemina, quàm canem appellare non dubitauit? Non conuenit inquit sumere panem filiorum, & dare canibus. Quæso te Ludouice, suntne canes electi? **LVD** Minimè verò. **FED**. At qui illa electionem obtinuit. Ex quo per spicuum est, neminem esse tam canem, quin possit eligi, & à Christo seruari si maturè velit. **LVD**. Verissima mihi videntur ista Federice. Sed quid fiet illis nationibus, quibus non fuit olim nunciata lex, aut quibus hodie non nunciatur euangelium? **F**. Euangelium omnibus gentibus aut nunciata est, aut nunciabitur. Sic enim prædixit Christus. **L**. Esto sanè: sed interea multi mortui sunt, & moriuntur sine doctrina, qui videtur perire defectu electionis. Si enim instituti fu-

fuissent, vitam emendassent, quemadmodum de Tyro, & Sidone testatur Dominus, acturas fuisse poenitentiam si miracula habuissent quæ habuit Capharnaû. F. Qui sine lege peccauerint sine lege damnabuntur. L. Quomodo sine lege? cum peccatum non sit nisi quod contra legem committitur? F. Habuerunt legem naturæ, quæ occidere, fallere, mentiri, & eius generis alia vetaret. In eam si peccarunt secundum eam punientur. L. Sed dicit Christus. Si ego non venissem, peccatum non haberent. Item: Hæc est damnatio, quod cum venerit lux in mundum, dilexerunt homines tenebras magis, quam lucem. F. Non punientur ob repudiatum Christum, si Christus eis non fuit oblatus, sed punietur, ob repudiatam lucem, quæ eis oblata fuit, quocumque; tandem illa nomine sit appellanda. Cui enim parum datum fuit, ab eo parum exigetur, & minoris peccati minor erit poena, maioris quoque; maior. L. Sed nondum respondes ad id quod dixi, si instituti, aut si melius instituti fuissent, vitam emendassent saltem eorum aliqui, qui perierunt. Itaque; videtur perisse defectu misericordiae Dei, quemadmodum quæ alioquin non capitali morbo laborat, sæpe tamen perit, aut quæ nulla,

aut quia non satis efficax ei adhibita est
medicina. Atqui Dei misericordiam de-
cere videtur, vt omnium misereatur, qui
modò misericordiam non repudiant, si
modò concludit omnia sub peccatum vt
omnium misereatur. **FED.** Verum dicis.
Itaque pronunciauit Christus, omne pec-
catum condonatum iri hominibus, nisi
quod commiserint in Spiritum sanctum.
LYD. Ergo illi ignoscetur non enim pec-
carunt in Spiritum sanctum, quippe qui
eis non fuerit oblatus. Cur ergo dicit
Paulus eos damnatum iri, qui sine lege
peccauerunt? **FED.** Non sunt ista pugna-
tia. potest enim aliquis damnari, & ta-
men veniam assequi; Quemadmodum
Dauid ob suum peccatum damnatus,
pœnas dedit, & tamen ei venia data est.
Est enim venia non interfici, sed leuio-
re, & breuiore pœna affici cum mortem
meritus sis. Denique qualis, & quanta le-
gis lux est, talem, tantamque esse viola-
tæ legis pœnam & equum, & necesse est.
Si lux est brevis, & parua, brevis fore vi-
detur & parua pœna: Sin lux æterna est
& maxima, æterna fore videtur & ma-
xima pœna. Et quoniam sola Sancti spi-
ritus lux æterna est, sola huius lucis vio-
late

lata poena erit æterna. **LVD.** Si ita est, melius agitur cum ijs quibus non offertur Spiritus sanctus. Sunt enim in minori periculo. **FED.** Sunt equidem in minori periculo. quo minus enim eis datum fuerit, eò minus ab eis exigetur. Sed sunt etiam in spe minore: vt enim maior erit poenę repudiate lucis maioris, sic erit & admissę beatitudo maior. Itaque cum admitti possit hæc lux ab hominibus, quibus offertur, summum beneficium est ea luce collustrari. Quod si qui eam repudiant, non est quod solem orientem, sed seipsos accusent, qui claudunt oculos. Quanquam an sint illi, quibus oblatus spiritus non est, æternas poenas euasuri, si quidem eam, quæ oblata est, lucem, repudiarunt, scit Deus, ego nescito. Et sanè curiosum videtur, nos qui viuimus, inquirere in mortuos, cum nihil eis prodesse possit inquisitio nostra. Quamobrem illa, quæ nihil ad nos pertinent, sinamus curanda Deo. Ipsi de officio virorum, & maximè nostrum, sumus solliciti, vt ita viuamus, vt ad mortuorum resurrectionem per Christum antesignanum nostrum peruenire possimus. **LVD.** Rectè mones, atque ita faciamus. De uiuis igitur vt loquamur, superest in

*De natura
denis.*

animo meo scrupulus vnus, quem si sustuleris ero liberatus. Supra demōstrasti naturæ dona non æqualiter esse distributa. Esse enim quosdam natura acutiores, & memoria tenaciores: alios tardiores, & ad omnia ineptiores. Istis ego hoc etiam addo, quosdam ita nasci, vt religionem secum ex utero apportare videantur: ita sunt iam à teneris vnguiculis obediētes, & ad omnia sequaces, pietatisque ita capaces, vt in ea capeſſenda, aut nihil, aut certè non multum laborare eos putes. Alij iam sub mammis sunt intrāctabiles, iracundi, feroces, & mox inobedientes, furaces, mendaces, fallaces, denique ab omni iustitia, & pietate ita abhorrentes, vt neminem nisi se ipsos audiant. Hoc discrimen efficit, vt videatur Deus quosdam, iam ab utero ad pietatem elegisse, alijs nihil ad pietatem dedisse. **FEDERIC.** Est istud quidem discrimen in pueris, Ludouice, estque quod ingentes Deo gratias agamus, si non sumus natura propensi ad ista vitia. Verum dic mihi Ludouice, inciditne Christus vnquam in vllum hominem ita ægotantem, vt eum sanare non potuerit, aut noluerit? **L.** Minime ve

*Christus
omnes sanare potest.*

rò. Quem enim morbum non sanaret
 qui mortuos etiam suscitabat? *FED. Ta- Marc. 7.*
 men quosdam maiore sua opera, & ne-
 gocio sanare videbatur, vt surdum illum
 tardiloquum, quem seorsum extra tur-
 bam seduxit, & in eius aures digitos
 suos immisit, spuitque & eius linguam
 tetigit, & in cœlum intuens ingemuit.
 Nonnullos etiam sanabat cum maiore
 ipsorum vel opera vel dolore, vt cœcum
 illum natum, quem iussit ire ad piscinā
 Siloam, & ibi oculos suos lauare. *Item- Ioan. 9.*
 que furiosum illum, qui eiecto demo-
 nio ita prostratus est, vt mortuus esse vi- *Marc. 9.*
 deretur. *LYDO.* Ita est. *FEDER.* Idem
 tibi persuade, Ludouice, de morbis ani-
 mi. Quemadmodum nullus ita bene na-
 tus est, aut educatus, quin vitiari possit
 (Nulla enim terra tā bona est, quin pos-
 sit alere spinas, quæ segetem extinguat)
 ita nullum esse, vel natura, vel institutio-
 ne, & consuetudine (quæ est altera quasi
 natura) ita vitiosum, vt eum sanare Chri-
 stus non possit aut velit. Absit enim vt sit
 eius vel bonitas, vel potestas minor in sa-
 nandis animis, quàm corporibus, cū ad
 sanādos animos nominatim missus fue-
 rit. Ac de potestate quidē negabit fortas-

se nemo, cum scriptum fit, ei datam esse omnem potestatem in cœlo, & in terra. De voluntate verò quis sanus ambigere audebit? cum clamet Christus ipse: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*, cum quæ neminem vnquam, vel qui ad ipsum venerit, vel ad quem ipse venerit, sanare recusauerit? Illud quidem fateor, eos, qui vel maioribus, vel tenacioribus, & radicatoribus siue à natura, siue à consuetudine vitijs sunt infecti, maiore Christi opera, & negotio, & cum maiore sua opera & labore, atque dolore curari. Sed quid tum postea modò curentur? Quinimo quanto maius tenacius quæ vitium fuerit, tanto inde maior lætitia, & gratiarum actio, denique gloria nascetur. Cum quanto maius fuit peccatum tanto maior Christi gratia fuerit. *L. v. p. o.* O mi Federice, credo planè orationi tuæ, & in ea acquiesco. Cæterum quoniam inter loquendum aliquoties fecisti mentionem liberæ voluntatis hominis, de qualibetate sunt hodie graues, & pertinaces controuersie, velim (si tu quoque vis) vt quemadmodum in destinatione, & electione fecisti, ita hanc quoque partem, quæ cum illis coheret, mi-

hi explices. Sed quoniam reuocant me
quædam negocia domum, quæso te vt
cras mane ad me venire velis; vt hac de
re colloquamur ante prandium, deinde
apud me pransuri. FEDER. Faciam ve-
rò Ludouice, & quidem perlibenter: Sed
ea conditione, vt nobis fasianum appo-
nas. delector enim ea carne mirum in
modum, & iam pridem vesci cupio. LVD.
Hei quàm cuperem me fasianum habe-
re. Vellem enim & hoc & longè maiora,
tua causa mi Federice. Sed quæso te da
mihi veniam. Ego fasianum profectò
nec habeo, nec vbi nancisci possim scio.
FED. At saltem gallinam nobis appo-
nes. LVD. Imo verò duas, & quidem li-
bentissimè: est enim mihi copia gallina-
rum. FED. O mi Ludouice, nihil opus
est, vt ad te veniam disputatum de libera
voluntate, siue de libero arbitrio; quippe
cum tu ipse totum argumentum paucis
verbis explicaueris. LVD. O v. Egone? E- *Libera ve*
go verò ne cogitavi quidem. LVD. Tan- *luntas.*
to maior est vis veritatis, quod eam ne-
quidem cogitans explanasti. Attende e-
nim, Petijstine à me, vt ad te cras venire
velim? LVD. Petij. FED. Credis me
posse velle petente te? LVD. Quid ni?

alioquin non petijſſem. F E D. Habeo ergo liberam voluntatem, ſi poſſum velle petente te: nec hanc in me eundi voluntatem gignit alia res, quàm tua petitio. Antequam enim tu petijſſes, mihi non erat voluntas eundi. Quid tu Ludouice? Dixiſti ne te velle, ſi poſſes, mihi faſianũ apponere? L. Dixi. F. Habes ergo in faſiano liberam voluntatem, ſi quidem petente me vis, cum antè non velles. Sed non habes in eo liberum arbitrium, hoc eſt poteſtatem. At in gallina vtrunq; habes. Vis enim & poteſ. Ita vides nos habere liberam voluntatem omnibus in rebus: poteſtatem verò in quibuſdam. Non enim omnia poſſumus quæ volumus. L. Næ tu paucis verbis expoſuiſti negociũ: Sed tamen quia ea de re multi multa diſputant, & multa obijci poſſunt, quæſo te vt venias. F E D. Veniam verò Ludouice, ſi volet Deus cuius ſumma poteſtas eſt, orato tu eum, & ego viciſſim rogabo, vt hæc noſtra tum præterita, tum futura colloquia ſint & ipſi Deo glorioſa, & animis noſtris ſalutaria. L. faciam. Vale. F. & tu Vale.